C! 4/1.

6
22-e
100

.I
C
1

6
23 E
24
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

liotheca
oll. Rom.
Jesu

21-6-28

21
6
31

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII

POEMATA.

EDITIO SECVNDA,

priori multo auctior, & emendatior, ut plane ſit alia;

Acceſſit

PRANSVS PARATVS,

Sive Satira in Poetas, & eorum contemptores.



AMSTELODAMI,

Typis IOANNIS IANSSONII.

Anno Dom. M. DC. XXXVIIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM.

AMice Lector. Quoties à moleſtis cogitationibus aliqua hilaritate abducendus eſt animus, aut cum aliis ſtudiis laſſato nihil ſerium agere libet, naſci mihi verſus ſolent. Id prædixi, ne tu me tempora alia à te poſcere putes, quam cum ipſe quoque graviores meditationes levibus oblectamentis diſtinguis. Novi, quanta ingenii laude, quam inſigni carminis ubertate aliquot poetæ noſtri ſeculi memorentur. Eorum luminibus à me, aliiſque æmulis febriculoſis non officitur. Denique nihil niſi honeſti otii voluptatem quæſivi, & adoleſcentiæ indulſi. Saltem ſi cum primis annis non illiberaliter egerunt Muſæ, habebo, quod ſplendorem curis altioribus conciliet: ætatem etiam ſequentem oblectet. Itaque ſi famam carmine non conſequar, non mirabor; quando ea ludentibus non contingit. Et ſi quid vitii erit in his libellis, id levius videbitur, ſi hoc ver ætatis reſpexeris. Non potui eſſe tam tetricus, ut feſtivos annos inepta moroſitate damnarem, & ridiculo ſchemate ſenectuti præluderem. Ergo aliquem luſum mihi dedi, qui tam procul abeſſet ab obſcænitate omni, quantum abſunt à virtute, qui invidiam, odiumque pro judicio induunt. Quid enim, an ego maximam ſtudiorum voluptatem ſponte mea abjiciam, ut pauci Zoili modeſtius ſupercilium habeant? Qui cum omni ſenſu laudis,

Digitized by Google

dis, & eruditione vacui ſint, barbaram, atque inhumanam maledicentiam etiam ad otii noſtri delicias porrigunt. Serias autem ſcientias ſemper jactitant. Ad quas quoties vocantur à nobis, contrahunt ſeſe demiſſo aculeo, ac elabuntur. Itaque elegantias ſtudiorum, quas non capiunt, traducunt: earum autem, quas ſibi vindicant, artium opinionem duntaxat, & faſtum habent. Et tamen ſi me diverſa ſequentem ferre non poſſunt; ſane oderint. Οὐ δεόμεθα σπονδῶν· ὁ πόλεμος ἐρχέσθω. Ad hanc porro editionem nihil me impulit magis, quam quod ſuccurrendum pudori fuit, quo me prioris conatus mei infelicitas confudit. Cum enim ante annos quinque, aliquo puerili fervore abreptus, temere me publico credidiſſem, pariter cum tenellis Muſis famam meam proſtitui. Sed id fortaſſis excuſatius erit, ſi autoribus ſummis, maximiſque viris, blandæ huic, nec illiberali ambitioni conſenſi. Ergo ante biennium operam dedi, ut, quæ nuda erant, & rudia, auctiora denuo & nitidiora prodirent. Et jam ſeſquiannus eſt, ex quo paratum editioni opuſculum, Belgium tranſiens, penes amicos reliqui. Quorum induſtria in exequendo negotio mirifice hactenus intricata, & diſtricta eſt: donec ipſe huc rediiſſem. Hæc apud te familiarius, mi Lector: quoniam potius viſum eſt ſimplicitatem, & candorem in ipſo limine, quam adulandi libidinem profiteri. Neque enim moleſtus eſſe poſſum magnatibus, quos remiſſiones noſtræ non capiunt. Eorum plurimi totum hoc dedicandi officium, exſculpendi munuſculi aſtutiam interpretantur. Meæ autem tam ſimplices

Muſæ,

Muſæ, & exiles, contemptim admodum haberentur, & perfunctorie. Singulos itaque libellos ſingulis clariſsimis viris inſcripſi, quos ingenii, judiciique gloria cum omni æternitate; amicitia etiam mecum conjunxit. Agnoſcis lenocinium poetæ. Qui, quam ipſe laudem deſperat, eam viros incomparabiles audacter compellando, invitæ poſteritati extorquet. Sed me ampliſsimorum hominum tam profuſa, & pene domeſtica benignitas facile abſolvet. Et, ſi nihilominus hac in re ambitionis plurimum ineſſe videbitur; id malim ſane, quam aut impudens, aut ſordidus videri. Cæterum eo illos ordine collocatos videbis, quem ipſis caſus, non conſilium meum dedit. Cum enim nugarum mearum hiſtrionia ageretur, poſſe convenire viros ſummos ad ſpectandum credidi, remotis dignitatum rationibus. Quemadmodum, ſi confluerent ad funambulorum ludicra fortuito conſiſterent, ſublata inde pompa omni, ubi feſtivitas, & animi remiſsio quæritur. Vale.

Series Librorum.

Elegiarum Liber primus continet

QVerelam matris Moiſis, cum filium in fluvium abjiceret. *Eleg. I.* fol. 1.
Næniam Davidis poſt nunciatam Cædem Sauli, & Ionathæ. *Eleg. II.* fol. 3.
Querelam Dinæ devirginatæ. *Eleg. III.* fol. 5.
Querelam Davidis, cum filium Abſalonem fugeret. *Eleg. IV.* fol. 7.
Orationem Iudithæ poſt interfectum Holofernem. *Eleg. V.* fol. 9.

Elegiarum liber ſecundus continet

VINC. FABR. Ad IANVM BODECHERVM BANNINGIVM. Hyemem amatori maxime aptam eſſe. *Eleg. I.* fol. 20.
ZACH. LVNDII, Ad CHRISTIANVM CASSIVM. Aeſtatem amoribus maxime aptam eſſe. *Eleg. II.* fol. 22.
V. F. Ad IANVM MEIERVM *Nuptias Danicas ſpectantem*: Amatorem Regi ſimilem eſſe. *Eleg. III.* fol. 25.
Z. L. Ad CORNELIVM CRISPINVM: Amatorem mancipio, & captivo ſimilem eſſe. *Eleg. IV.* fol. 27.
V. F. Ad DIDACVM PLANCIVM: Amatorem audacem eſſe debere. *Eleg. V.* fol. 28.
Z. L. Ad CAROLVM GENTILEM: Amatorem timidum eſſe debere. *Eleg. VI.* fol. 30.

V. F.

Digitized by Google

V. F. Ad ERASMVM SELTAM, de ejus Nyctide: Deformes pulchris præferendas eſſe. *Eleg. VII.* fol. 32.

Z. L. Ad ALEXANDRVM LÆLIVM, de ejus Margaride. Pulchras deformibus eſſe prę-ponendas. *Eleg. VIII.* fol. 34.

V. F. Ad THEODORVM BOVLIVM; Se puellas ſimplices maxime amare. *Eleg. IX.* fol. 36.

Z. L. Ad BRANDANVM DÆTRIVM; Se prudentem maximè amare. *Eleg. X.* fol. 38.

V. F. Ad PHILIPPVM RVBENIVM: Pictura Merillæ. *Eleg. XI.* fol. 39.

Z. L. Ad Charintam, de ejus laudibus. *Eleg. XII.* fol. 41.

V. F. Ad IOHANNEM FREDERICVM GRONOVIVM: Virgines viduis præferendas. *Eleg. XIII.* fol. 44.

Z. L. Ad CORNELIVM GROTIVM: Viduas Virginibus præferendas. *Eleg. XIV.* fol. 46.

V. F. Ad DANIELEM HEINSIVM: Amatorem abſentem minus proficere. *Eleg. XV.* fol. 48.

Z. L. Ad AVGVSTVM BVCHNERVM: Amatorem abſentem maxime proficere. *Eleg. XVI.* fol. 49.

Elegiarum liber tertius continet

AD DAN. HEINSIVM: De laribus Douſicis. *Eleg. I.* fol. 55.

Ad ZACH. LVNDIVM: Novi amoris initia. *Eleg. II.* fol. 57.

Ad IANVM MARIVM: Quo pacto Merillam amare cœperit. *Eleg. III.* fol. 59.

Amorem tempeſtati comparat. *Eleg. IV.* fol. 61.

Ad PETRVM SCRIVERIVM: Nullas ſibi amandi inducias dari. *Eleg. V.* fol. 62.

Nimis verecunde ſe amare. *Eleg. VI.* fol. 63.

Ad Cupidinem. *Eleg. VII.* fol. 65.

De Ancilla, quæ cum diu virum ſimulaſſet, & militem egiſſet, tandem Amſtelrodami uxorem quoque duxiſſet, poſtremò capta eſt, & pœnas dedit. *Eleg. VIII.* fol. 67.

Ad MERILLAM. *Eleg. IX.* fol. 70.

Ad MERILLAM, in Angliam navigantem. *Eleg. X.* fol. 72.

Ad CASPAREM BARLÆVM: Amorem ſuum pudicum eſſe. *Eleg. XI.* fol. 74.

Elegiarum liber quartus continet

AD CONSTANTINVM HVGENIVM. *Eleg. I.* fol. 80.

Ad CHRISTIANVM CASSIVM: De luſu virginum Batavarum in glacie. *Eleg. II.* fol. 82.

Ad FRANCISCVM LEVVIVM à GOVDA: Optima ingenia amoribus operam dediſſe. *Eleg. III.* fol. 84.

In Lāpades, & reliqua dramata BERNHARDI MEIERI. *Eleg. IV.* fol. 85.

Ad ZACH. LVNDIVM: Vt in Hollandiam veniat, hortatur. *Eleg. V.* fol. 86.

Ad

Digitized by Google

Ad ADOLPHVM VORSTIVM: cùm, ipſo præſide, de omnibus cerebri ac capitis affectibus publice diſputaret. *Eleg. VI.* fol. 88.

Ad CHRISTIANVM CASSIVM Lugdun. Batav. in patriam revertentem. *Eleg. VII.* fol. 89.

Epiſtolæ Merillæ ad V. F A B R. poſtquam ex Hollandia in patriam rediiſſet. ſcripſit Z. L. *Eleg. VIII.* fol. 91.

Ipſe ad ſuperiorem epiſtolam reſpondet. *Eleg. IX.* fol. 93.

Ad Z. LVNDIVM: elegias venatorias edentem. *Eleg. X.* fol. 96.

Ad AVGVSTVM BVCHNERVM: Cùm poſt horrendam illam inundationem, quæ Anno 1634. contigit, in Cimbrica Cherſoneſo viveret, & aliquot orationes ab ipſo VVitteberga dono miſſas accepiſſet. *Eleg. XI.* fol. 98.

In Nuptias CHRISTIANI CASSII: *Eleg. XII.* fol. 99.

Ad CORNELIVM GROTIVM ex Germania in Succiam diſcedentem. *Eleg. XIII.* fol. 101.

Silvarum liber unus continet

IN Obitum ERMGARDIS RVTGERSIÆ. DAN. HEINSII VXORIS. fol. 106.

Ad Civitatem Hamburgenſem, cum ibi ageret HVGO GROTIVS. fol. 110.

Ad

Digitized by Google

Ad PETRVM CVNÆVM IC. cum primo Lugdunum Batavorum veniſſet. fol. 113.

Ad HIERONYMVM VOGLERVM. fol. 114.

Ad CLAVDIVM SALMASIVM: De ſtupendo & admirabili caſu, qui in Hollandia tempore peſtis contigit. fol. 115.

Ad FRIDERICVM LINDENBROGIVM IC. fol. 120.

De cruenta expugnatione Civitatis Magdeburgæ. fol. 121.

Ad DAN. HEINSIVM: Cum Lugdunum Bat. veniſſet. fol. 123.

Ad Civitatem Leidenſem: pro Oratione, de obſidione, & liberatione ejuſdem Vrbis Anno 1632. 4. Octob. à ſe habita. fol. 125.

Ad MARCVM SVERIVM BOXHORNIVM: De natali utriuſque, qui in annum eundem, & diem incidit.

Miſcel-

Miſcellaneorum liber unus. fol.134.
Manes CORNELIÆ VOSSIÆ. fol.157.
Vindemiæ Anni CIↃ IↃ CXXXVII. fol.166.
Elegiarum Iuvenilium reliquiæ. fol.178.
Elegia in Natalem NICOLAI HEINSII D.F. fol.193.
Carminum adoptivorum Liber. fol.197.
PRANSUS PARATUS *Satyra.* fol.232.

VIN-

Digitized by Google

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII

ELEGIARVM

LIBER I.

In quo Biblica.

Digitized by Google

Admodum Reverendo, & maximo Viro

GERHARDO IOANNI VOSSIO,

ECCLESIAE METROPOLITANÆ CANTVARIENSIS CANONICO,

ET

in illuſtri Amſtelredamenſium Gymnaſio

DOCTORI PVBLICO.

S. D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

QVantum me tibi obſtrinxeris, Vir incomparabilis, atque adeo tota domus Tua, profiterer in hoc limine, ſi ſummis beneficiis paria verba reperirem. Occurrit mitis, & manſuetus ille vultus, illa in amorem noſtri effuſa benignitas, ille candor,

Καὶ τοὐπιεικὲς, καὶ τὸ μὴ ψευδοστομεῖν.

Quibus Tu laudibus conſeri mavis, quam tanta literarum, omniumque ſcientiarum gloria. Accedit amici-

Digitized by Google

amicitia clariſsimorum filiorum tuorum, &, qualis inter fratres eſſe ſolet, conſuetudo. Nec oblivisci poſſum univerſæ familiæ Tuæ affectum; quo me intra lares Tuos continuis ſæpe diebus liberaliſsime habent. Vt, quem ipſe, quoties ad vos excurro, ſaluberrimis monitis inſtruis, Tui conviviorum etiam comitate detineant. Quæ merita, quanquam nulla oratione adſequi licet, tamen inter familiares meos lætiſsima ſemper prædicatione circumſero. Hac enim dulci ambitione delectatur animus meus, quoties alii non ignorant, quanta benivolentia Studia mea foverint clariſsimi homines, quos eruditio conſummata, & conſenſus famæ ſupra humanam proficiendi ſortem extulit. Porro de communibus beneficiis Tuis, quibus totum terrarum orbem demeruiſti Tibi, jam ante omnibus conſtabat. Quæ quamvis ad me quoque pertinerent, qui ſcriptis Tuis quotidie juvor: glorioſius tamen videbitur, gratitudinis argumentum ex privata benivolentia petere. Pro qua hactenus nihil reponere poſſum, niſi conſecratum Tibi, Tuiſque animum, votumque ardens, & ſolenne,

Ω Ζεῦ διδοίης τοῖσι τοιȣ́τοισιν εὖ.

Paucas tamen elegias iſtas Tibi inſcripſi, Vir Summe; quibus argumenti gravitas duntaxat patrocinatur. Quod, ut vides, ex ſacris literis deſumptum eſt. In pleriſque ingenio indulſi, & inveniendi facilitatem prætuli. in Davidis ſaltem leſſo cum non uſquequaque negligerem eam curam, ut poeta appare-

parerem; malui tamen interpres eſſe. Si non infeliciter hoc ſcribendi genus tentaſſe Tibi viſus fuero, fortaßis, ubi otium erit, libellus iſte augebitur. Quod ſi abſtinere melius erit, facile levi jactura defungemur. Nunc enim ſolummodo τὸ γεῦμα τὴν αὐτὴν καλεῖ, *ut ait Euripides.*

IN-

VINCENTII FABRICII

ELEGIARVM

LIBER PRIMVS.

In quo Biblica.

ELEGIA I.

Querela matris Moiſis, quum filium in fluvium abjiceret.

ANte annos ergo, fili miſerande, natabis?
 Tam tenero quàm non convenit ille labor.
Sed tamen immiti ſi rege benignior unda eſt,
 Parve puer, placidas experiaris aquas.
Exiguos vncos, nexaſque bitumine cannas
 Vltima perculſæ dona parentis habe.
Augebunt lacrimæ flumen, ſuſpiria ventos.
 Me miſeram! ſumma eſt muneris illa mei.
Parcite crudelem ſteriles clamare puellæ.
 Quod peperi, quo ſum crimine facta nocens?
Nil merui. Phario convitia dicite regi:
 Ille parum mites cogit habere manus.
Ille latus tenerum quærit mucrone coruſco,
 Spirat & infeſtas ore furente minas.
Illinc non una madidus ſtat cæde tyrannus:
 Hinc Deus, & Nilus, & male fida ratis.

Digitized by Google

Aut morere infelix, fatiſque occurre ſiniſtris:
Aut fluvium tenta, propitiumque Deum.
Si tamen, ut pereas, ſuperi voluere, ratumque eſt;
Tutius eſt ſuperos, & pia fata ſequi.
Deliciis ſaltem feralibus aula carebit,
Et minus ad lethum flebilis illa via eſt.
Non ego carnificem venientem cernere poſſum,
Nec rutilos enſes ferre, nec arma pati.
Ante oculos ut te latro diſcerpere tentet,
Inficiatque tuo ſæpe cruore ſinum,
Parvaque crudeles ut raptent oſſa miniſtri,
Non animi ſatis eſt iſta videre mihi.
Quam miſerum eſt, Reges pueris indicere bella?
Quam miſerum eſt fortes heic habuiſſe manus?
Debuerat validis concurrere tanta poteſtas:
Vt puero noceat, non habet ira locum.
Sat fuerat miſero plebem laſſare labore.
Poſt operas, noſtri ſanguinis ecquid eges?
Cur domino jungis tortorem? Sufficit illud
Nomen, & oppreſſus eſt ſatis eſſe ſemel.
Vt facias ſervos, cur ſervis jungimur orbæ?
Ah nimis indignè pœna ſecunda premit!
Vtere mancipiis: operas intende flagellis:
Plurimus immiſto ſanguine ſudor eat.
Ætati ſaltem teneræ poſt omnia parcens,
Vltorem ſceleris diſce timere Deum.
Quin tamen incaſſum ſterilis conſumitur ira.
Creſcimus ante oculos, ſæve tyranne, tuos.
Creſcimus Iſacidæ: tantiſque furoribus acti
Senſimus à noſtris partibus eſſe Deum.
Sola tibi rabies ſupereſt, horrorque, metuſque,
Et ſcelus, & multo ſanguine tincta manus.
Intus adeſt animus tortor, verſatque, rapitque,
Hoc precio ſervi, nec ſine cæde ſumus.
Nos tamen abſolvet tandem lux candida feſſos.
Auguror hanc miſeris non procul eſſe diem.
Te tua perpetuo damnabunt fata furori;
Hærebit lateri, viſceribuſque dolor.

Adſta-

Digitized by Google

Adſtabunt tumulo furiæ, ſcelerataque cura,
Et diri gemitus, attonituſque pavor.
Adſpicies triſtes circa mæſtiſſimus Vmbras,
Et faciem ſceleris quolibet eſſe loco.
Hic quoque ſupplicium teneris ploratibus auget
Parvulus extorrem, quem facis ante diem.
Da veniam trepidæ, fili dilecte, parenti:
Quod potui, feci, conſuluique tibi.
Præripui gladio jugulum, regique frementi:
Diſponet placidus cætera fata Deus.
Iamque vale, puer infelix; miſeramque ſalutem
Quæras in mediis, inveniaſque vadis.
Sin mereris: fato tecum tollemur eodem;
Me lacrimæ triſtes, te tua merget aqua.

ELEGIA II.

Nænia Davidis poſt nuntiatam cædem Sauli, & Ionathæ.

Ex lib. 2. Reg. ca. 1.

INclita poſteritas Iudæ, ſi fletibus ullum
Tempus eget, miſere eſt hæc tibi flenda dies.
Ecce decus regni, columenque, & regia pubes
Turpiter indigna morte perempta jacet.
Iamque madent ſummi regali ſanguine colles.
Hei mihi quot clades illa ruina dedit!
Neſciat hæc, noſtrum ne Gatta ſuperba dolorem
Lætitiæ cauſam, materiemque putet.
Aſcelon immitis nulla cognoſcere fama
Debuit, inſignes occubuiſſe viros.
Neve leves choreas, infandaque carmina diſcat
Lætior ante ſuos virgo Peliſtha Deos.

Digitized by Google

Quod jactent, nolim quicquam ſupereſſe puellis,
Hæc patris amplexum dum petit, illa viri.
At vos Gilboi jubeo ſterileſcere colles:
Invidiam ſceleris ſuſtinet ille locus.
Et nocuas valles, & conſcia culmina cædis
Imbribus, & nullo rore madere decet.
Tam funeſtus ager nullo renovetur aratro;
Nec ſegetem cultor colligat inde ſibi.
Non illic ponendi aris naſcantur odores,
Aut quæcunque dari eſt faſque, piumque Deo.
Impius eſt campus tantorum ſtrage virorum,
Criminis ultorem ſentiat ille Deum.
Heic clypeum Saulo potuit rapuiſſe Peliſthus.
Regalem fruſtra texerat iſte manum.
Hei mihi! ludibrii ſummam fortuna peregit:
Rex cum plebe pari conditione jacet;
Non Ionatha melius quiſquam lunaverit arcum:
Certior ad cladem nulla ſagitta fuit.
Nec Sauli gladios impune laceſcere poſſes:
Sanguinis hei quantum dextera tanta dedit!
Regius occubuit juvenis cum patre peremptus.
Vna dies belli fulmina bina tulit.
Quæ fuerat vitæ quondam, & concordia morum,
Nunc etiam fato junxit utrumque pari.
Miraris celeres aquilas, per inane volantes.
Deſine mirari: talis uterque fuit.
Vidiſti validos deſcendere monte leones:
His etiam majus robur utrique fuit.
Exequias Saulo plorantes ite puellæ:
Gloria cum Saulo veſtra jacente jacet.
Vobis ille croco, & fulgentem murice veſtem,
Et rutilum gemmis tegmen habere dedit.
Crinibus ah quis deinde dabit flaventibus aurum?
Quo ſe jactabit munere pulchra manus?
Hei mihi, quod rapuit fortiſſima pectora fatum?
Cur Ionathæ facta eſt ſanguine Parca nocens,
Si quis adhuc ſupereſt ſenſus felicibus umbris,
Et meminiſſe mei poſt tua fata potes,

Accipe

Digitized by Google

Accipe fraternos, Ionatha dulciſſime, fletus:
 Occubuit tecum vita, ſaluſque mea.
Quod juvenis teneræ caſtus largitur amicæ,
 Hoc, donec licuit, tu mihi ſemper eras.
Quod facit, ut placeat ſponſo, pudibunda puella,
 Amplius in noſtro, frater, amore fuit.
Hei mihi, quid fieri potuit crudelius iſtis,
 Tantus amor populi quod cadit ante diem.

ELEGIA III.

Querela Dinæ devirginatæ.

SI lacrimis poſſem læſæ ſuccurrere famæ,
 Criminis immunis flenſque, dolenſque forem.
Poſt lacrimas, gemituſque, manent veſtigia culpæ,
 Et peragunt ſceleris, flagitiique ream.
Tunc potius decuit pectus diducere luctu,
 Cum, mihi per Solymos impetus ire fuit.
Quin ego Sidoniam ſumpſi formoſula pallam,
 Quin ego diſtinxi, compoſuiſſe comas.
Et manibus data ſunt, & ſunt redimicula collo:
 Et ſimul infelix, & ſpecioſa fui.
Pone ſequebantur famulæ. Sed cætera vicit
 Maxima virginitas pompa, meuſque pudor.
Laudabant Solymæ formamque, pedeſque puellæ,
 Funeris auſpicium laus fuit iſta mei.
Converti juvenum vultus, & amare coëgi.
 Quod placui, nocuit, perniciemque tulit.
Hoc erat, ut rapto tam pulchra pudore redirem:
 Id fuerat facies illa, decorque mihi.
Do veniam juveni: pulchram Sichemus amavit.
 Debuerat facilis Dina manere domi.

Digitized by Google

Debuerat ſancti monitus audire parentis.
Ah quoties dixit:tu tibi, nata, cave.
Ah quoties dixit:moderatius utere forma:
Lubrica res pudor eſt;diſce manere domi.
Vt nihil admittas:dum læta vagatur ubique,
Quod tamen excuſet, fœmina ſemper habet.
Ætatis florem nimium ne credito Soli;
Ille tuus tener eſt, inſidiiſque patet.
Abſtulit ambitio miſeram, vitiumque juventæ:
Et pia pro vano dicta monentis erant.
Diſcite formoſæ monitis felicius uti,
Et juvenes oculis ſollicitare minus.
Vt peccare viri dicantur, & eſſe protervi,
Illecebras noſtro crimine ſemper habent.
Nos oculis miſeros, nos blando ducimus ore:
Nos trahimus roſeis ſponte, vel arte genis.
Dum movet argutum variè laſcivia corpus,
Formaque luxurians dum placet ipſa ſibi;
Dum vaga nequitiam, morbumque lacinia prodit,
Lacteaque adducta veſte papilla patet:
Omnia dum facimus; ſtultum eſt depoſcere, culpam
Vt caveant juvenes, abſtineantque manum.
Sic ego deliqui. ſero mea crimina ſenſi,
Nunc patior pænas, promeruique pati.
Quæ modo compta fuit, furioſo ſcinditur ungue.
Materieſque mali deſinit eſſe coma.
Quantus ineſt oculis, lacrimæ fecere tumorem:
Hos etiam turpes eſſe coëgit amor.
Os quoque peccavit, ſcelerataque baſia ſumpſit,
Quæ nunc infeſto pollice ſæpe luit.
Pulchra olim, rabidis lacerantur pectora palmis,
Debuerant aliam non ea ferre manum.
Hoc miſeram decuit Solymis occurrere vultu,
Vt miſeranda magis, quam rapienda forem.
Quod potui incompta facieque, comaque tueri,
Excidit ornatæ, deperiitque decus.
Et tamen una fui venerando filia patri:
Scilicet ut nullam mallet habere pater.

Quin

Digitized by Google

Quin ego tot fratrum quondam germana vocabar:
  Omnibus ut fierem dedecus una ſoror.
Sola ergo, poſt facta patris, fratrumque meorum,
  Ludibrium tantæ poſteritatis ero?
Laudibus illorum ſcribetur Dina pudenda,
  Quod levis, & turpi non ſine labe fuit?
Et merui. Tantum cupiat ſuccedere culpæ,
  Erroremque meum nulla puella ſequi.

ELEGIA IV.

Querela Davidis, cum filium Abſalonem fugeret.

FIlius ad portas aderit: fugiamus amici.
  Eſt dandus ſceleri, flagitioque locus.
Agmina jam volitant: jam rauco tympana cantu,
  Iam tuba ferales edidit inde ſonos.
Ille meus rabidam conquirens undique plebem
  Dux præit, & ſocios impietatis habet.
Feſtinate viri, ne tam ſcelerata caterva
  Ominà de noſtro ſanguine prima petat.
Fatalis juvenem rapuit vecordia morum.
  Omnia nunc audet: nec putat eſſe Deum.
Hanc modo cervicem funeſtus poſtulat enſis.
  Ni fugimus, peraget filius ipſe nefas.
Hæc quoque nobiſcum ferali mœnia ferro
  Eruet, & junget crimina multa furor.
Forſitan in vacua placidus dominabitur aula;
  Mitius ejecto ſæviet ille patre.
Et nos exilio pariter ſervemus, & urbem.
  Ille gerat manibus perfida ſceptra ſuis.
Ille capillatus noſtrum diadema capeſcat:
  Succedatque patri filius ante diem.

Saltem regali non inveniatur in oſtro
  Sanguis, & hæc careant ſceptra cruore meo.
Non ego fortunæ conſenſi invitus, amici.
  Infelix merui deteriora pati.
Ante oculos miſeri cædes verſatur Vriæ,
  Et non legitimo Berſeba juncta toro.
Obruimur juſtis, poſt tam crudelia, pænis;
  Et premit infandum numinis ira caput.
Impius eſt gnatus: Sed ſummo crimine crimen
  Penſat, & exemplo eſt impius ille meo.
Quamlibet immitis, peragit mandata Iehovæ:
  Peneque jam veniam tam ſceleratus habet.
At vos, ô ſocii, noſtris involvere fatis
  Ah pudet! Ille dolor debuit eſſe meus.
Eheu, cur, toties mihi quæ ſpectata ſecundis
  Rebus in adverſis cogor amare fidem?
Tu ſaltem tantis à caſibus, hoſpes Ithai,
  Servatum patriæ ſubtrahe quæſo caput.
Si mea ſors nondum (nec profuit) hactenus unquam,
  Profuit; at ſaltem non oneroſus ero.
Me juvet exilio contentum hinc inde vagari:
  Tu poteris multis utilis eſſe domi.
Te tua ſepoſuit blandæ fortuna quieti:
  Me mea ſors ſolitis verſat, agitque modis.
Quæ dulcem miſero quondam rapuere juventam,
  Exercent eadem fata ſecuta ſenem.
Quas ego non latebras didici, cum Saulus adeſſet,
  Et caput infeſto quæreret enſe meum?
Exul eram, cum ſceptra Deus conceſſit, & oſtrum.
  Nunc ego privatus rurſus, & exul ero.
Si nunc reſtituar pecori, vitæque priori,
  De ſuperis nondum juſta querela foret.
Illa pedo poſito vidiſtis ſumere ſceptra:
  Cur querar adſumpto ponere ſceptra pedo?
Nil mihi de tanto, præter faſtidia, regno
  Reſtat, & exilium, ſollicitoſque metus.

Quod-

Digitized by Google

Quodque dedi ſcelerum pænas, ſed & hoſtibus olim
Materiem riſus, ludibriumque meis.
Hanc ego cur aulam campis mutare recuſem?
Paſcentes melius vivitur inter oves.
Illic inſidias ignorat ruſtica pubes,
Et dominum pecoris non dolet eſſe patrem.
Tam placida ſi me componant fata quiete,
Quod juvat, exul ero: nec gravis illa fuga eſt.
Sin Deus ereptas rurſus mihi deſtinat arces;
Obſequar. Obſequii gloria major erit.
Dulce erit interea cognoſcere, vivere gnatum,
Et ſceleris juvenem pœnituiſſe ſui.

ELEGIA V.

Oratio Iudithæ poſt interfectum Holofernem.

POſt libertatem, Cives, vitamque receptam
Vt decet, ultori ſolvite vota Deo.
Truncus in infami, tabo fluitante, cubili
Dux jacet. hac cecidit barbarus ille manu.
Vltra fœmineum gladios tentare vigorem
Auſa, dedi patriæ, quod nequiere viri.
Sed tamen id meritum ſuperis tranſcribere præſtat.
Impetus æterni numinis ille fuit.
Ipſe Deus teneram dextram direxit ad ictum:
Ipſe Deus jugulum preſſit, opemque tulit.
Parcius huc cumulate roſas, & munera, Cives:
Servantur melius tam pia dona Deo.
Rem tamen, ut geſta eſt, ſi qua eſt audire voluptas,
Diſcite. non gravis eſt commemorare labor.
Prodieram ſola (noſtis) comitata puella.
Cingebat nitidum ſplendida vitta caput.
Luxurians Syrios coma diffundebat odores,
Ornatæque manus: & rubuere genæ.
Candida Sidoniam velabat palla lacernam:
Nec caruit gemmis utraque pulchra ſuis.

Hei, miſeram quam non decuit tam pulcher amictus?
 Hei, viduæ quam non convenit ille color?
Nec tamen hunc cultum perſuaſit fœda libido.
 Sit procul à noſtris moribus ille furor.
Nec pariter crocea cum veſte ſuperbia ſumpta eſt,
 Hac animum teſtor labe carere meum.
Hoſtibus ornabar: ut non impune placerem.
 Barbarus ut caderet, compta, decenſque fui.
Non didici junctis umbonibus ire per hoſtem:
 Arma gerant fortes, qui didicere, viri.
Fœmina feſtivis oculis formoſa geniſque
 Vincat, & argutis, quos dedit ore, ſonis.
Tutius inſidias, animis & viribus impar,
 Inſtruit, & pugnat cauta puella dolis.
Hac ego pugnavi, ſuperis ſuadentibus, arte.
 Pro patria, Cives, ingenioſa fui.
Tempus erat, quo fuſca comas Aurora reſolvens
 Solares primo lumine prodit equos.
Inferimur caſtris: horrebant omnia pilis:
 Plurimus ad portas miles, & intus erat.
Protenus ad primos qui jungunt agmina cervos,
 Vndique concurrunt, injiciuntque manus.
Nec tamen erubui conſpectis cominus armis.
 Scilicet hæc oculi jam didicere pati.
Quod placuit cultus, quod non abſurda videbar,
 Aſſyrio ducor præda futura Duci.
Blanditias decori junxi, mendacia formæ.
 Barbarus attonitus captus utroque fuit.
Ipſe quidem rutilo tumidus recubabat in oſtro:
 Regius in lato ſyrmate luxus erat.
Stabat inaurata galeatus veſte ſatelles:
 Omnibus in dextra cuſpidis haſta fuit.
Et tamen impoſui tam forti, & amare coëgi.
 Hoc ſuperi dederant, illaque forma mihi.
Mox infelicem, quoque exarderet in ipſo
 Funere, ſubjecit prima libido facem.
Et jacui ſupplex: ſed non tulit ille jacentem.
 Et flevi: lacrimas non tulit ille meas.

Inde dies, alterque dies: & tertius ibat;
Et licuit ſoli vivere more meo.
Iamque aditus, redituſque, & pervia caſtra patebant
Vndique, nec quiſquam qui prohiberet erat.
Luce tamen quarta, ſuadente libidine, tandem
Splendida regales inſtruit aula dapes.
Criminis interpres infamis ſemivir ibat
Vagous, ah domino turpior ipſe ſuo.
Vt veni, Ductor ſublimi in ſede locari
Iuſſerat: & lateri proximus ipſe fuit.
Hinc alios late proceresque, duceſque videbam
Ordine pro meritis quemque cubare ſuis.
Iam famuli totis ponebant vina Smaragdis,
Et ſolidæ gemmæ ſuſtinuere dapes.
Sola ego, quod vetitas epulas guſtare refugi,
Parte cibi modica ſimplicis uſa fui.
Abra comes toſtam poſuit cum pane polentam:
Hanc veniam noſtris moribus ille dedit.
Iam pateras vario cingebant flore corallæ:
Iam calidus, circum tempora Bachus erat.
Donec de vino ſumpſit petulantia vires,
Flammaque de flammis, deque calore calor.
Sancta Dei, Cives, conteſtor templa, pudoris
Infandum ſpolium non habet ille mei.
Ebrius amplexus ſolos, & baſia ſumpſit:
Hæc etiam caſta mente, coacta dedi.
Cætera ſervabat thalamo. prior ipſe locatur,
Inſano feſſus, deficienſque mero.
Huc quoque concludor. Tempus Deus ipſe, locumque,
Et mentem auſuræ, conſiliumque dedit.
Languida purpureo pendebant colla cubili:
Auratis fixus poſtibus enſis erat.
Scilicet implevi facinus, cervice reciſa:
Huc comes infandum condidit Abra caput.
Cernitis, ut multo caligent lumina tabo:
Felici tandem preſſimus illa manu.

Exſangui ſupereſt veſana ferocia fronti:
Et præfert ſolitas turbidus ore minas.
Sed jacet. Auſpicium veſtræ Iuditha ſalutis
Prætulit. Huic animos, armaque ferte viri.
Ductore amiſſo, pavidam proſternere turbam
Sufficit. Exigui ſanguinis illud erit.

VIN-

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII
&
ZACHARIAE LVNDII
Hyberna,
Sive
ELEGIARVM
LIBER II.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſsimo Viro

HVGONI GROTIO, Regni Suecici apud Regem Chriſtianiſſimum Oratori,

S. D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

CVm nuper Cornelius Tuus, juvenis admirabilis animi, atque ingenii heic eſſet, Ampliſsime Groti, libens ſenſum priſtinæ amicitiæ tam jucunda, & honorifica conſuetudine reſumpſi: Idque eo ardentius, quod in generoſa fronte, vividiſque oculis Tua, indoles, illaque animi incomparabilis ſublimitas legeretur. Et in partem quidem voluptatis Lundius familiaris meus, venit. Quẽ filio Tuo cãdor, ingeniiq; venuſtas facile conciliavit: cum tamen id ille, qua eſt modeſtia, mei eſſe beneficii profiteretur. Cæterum Cornelium conſiliorũ ſuorũ ratio aliò vocavit. Nobis ſaltem hoc reliquit, ut, quoties tanta morum amœnitas obverſatur oculis, ingẽti delectatione perfundi animi neceſſ

Digitized by Google

neceſſe ſit. Quoties deinde ad virtutes, & magnitudinem Tuam cogitando deventum eſt, neſcio quo repente numine impletus animus adſurgat. Eoque ardore abreptus præconia Tua tituloſque heic commemorarem, niſi ſcirem, Te virum talem, qui illam gloriam es conſecutus, qualis vix orbe toto capi poſſe videatur, magis Tua Te vi noſſe, quam alienis laudibus æſtimare. Nec ſane hujuſmodi virtutibus quicquam adjungi vel exquiſitis adulationibus poteſt, quas ut deſtrueret, ipſi etiam fortunæ locus defuit. Quod cum ab ineunte ætate ſemper mihi perſuaſiſſem; à Te tamen impoſita mihi neceſſitas eſt, ne cætera pluris, quam conſpicuam Tuam, & incredibilem humanitatem facerem. Quantus enim nunc annus agitur, ex quo res meas, ſtudiorumque rationes ad Tuas curas pertinere pateris. Cum non contentus religioſum cultorem admittere, ſalva magnitudine Tua, ad amandi quoque facilitatem deſcendiſti. Idque literis ſubinde ad me indulgentiſſimè ſcriptis teſtatus es. Porro occultus eſſe adſectus Tuus non potuit; quod non raro tum in patria mea, tum alibi honeſtiſſimis, &, quod caput eſt, Tuis laudibus, ut aliis quoque laudandus viderer, effeceris. Cum autem tota vita mecum Lundius ita vixerit, ut nihil ab ipſo ſeorſim haberem: patere quæſo, ut amoris quoque Tui, & ſummæ benevolentiæ uſuram cum familiari dividam. Qui profectò, quoniam jam ante in poſſeſſionem me volente venit, de ea jam non, niſi violenter, dejici poterit. Quanquam autem ea nunc ſit dignitas Tua, eoque loco vivas, ubi nihil niſi auguſtum, niſi Te dignum

gnum occurrat: non invitum tamen puto ad verſiculos à gravioribus negotiis deduci. Nunquam enim ſine maxima delectatione reverteris ad memoriã adoleſcentiæ tuæ, qua omnibus omnis ætatis poetis induxiſti caliginem. Calumniam omnino, aut invidiam non reformidamus, ſi iis quandoque oblectationibus ſeria ſtudia temperamus, quas omnium gentium ſummi, atque celeberrimi viri inter remiſſiones ſuas habuerunt. Qui autem eas adſpernantur, faſtuoſi, & ſola omnium rerum ignorantia memorabiles, meminiſſe debebant, etiam ineptiſſimis verſibus ſuavius, quam nihil agendo, otium perire.

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργείη δέ τ' ὄνειδος.

Inter quos tamen quidam maxime iniqui in carmine modeſtam laſciviam reprehendunt, & ingeniorum luxuriam non ferunt, qui, adoleſcentia inter vina & ſcorta intemperanter conſumpta, in moribus nec laſciviæ modum, nec luxuriæ habent. Nobis ſemper diverſa ab iis ratio placuit. Inprimis, cum manifeſtum eſſet, miſeris iſtis, ex tam beatis, ut arbitrantur, occupationibus nihil, niſi ſcelerum memoriam, fractamque, & invalidam ſenectutem relinqui. Ferunt mandragoram, ſi juxta vites naſcatur, vim ſuam vino communicare. Suavius enim dormiunt, qui id biberunt. Nobis profecto nunquam felicius ſuccedunt graviora ſtudia, quam cum ab his Muſarum amœnitatibus non alieni ſumus. Quibus refectus quaſi, & mitigatus animus ſeverius reliquarum artium ſupercilium minus expaveſcit, & majori dexteritate conſequitur. Hac ratione inter alia Elegiæ complures Lundio meo, ac mihi aliquando natæ ſunt. Cum autem

ipſe ante biennium in Cimbrica Cherſoneſo , quaſi exul, agerem, qui id temporis calor poeticus illius cæli frigus mihi mitius reddidit, eum nunc Hybernorum titulo præſcriptum tibi mittimus. Scimus, autem, Te in amando ſemper mores Tuos tenere. Nam, ut dixi, humanitatem Tuam privatim novimus: & amœnitatem ingenii cum infinitis publice, cognitam habemus. Cum ergo moroſus, & arrogans, etſi ipſe velis, eſſe non queas; Poeſin autem, ſi odiſſes, naturæ Tuæ vim faceres: ſumpſimus eam confidentiam nobis, ut Hiberna iſta, cum noſtra eſſe diutius nollent, Tua eſſe juberemus. Quæ ſi in clientelam Tuam recipis, facis Tu, quidem, quod ſoles, ut nihil humanitatis in Te deſiderari ſinas: ſin reſpuis & excludis, illa minus patiuntur, quam meruerunt.

Bruma

BRuma riget, geliduſque jubet torpere December,
Et Ianus rigidas excubat ante fores.
Saturnalitiis redeunt ſua tempora feſtis,
Vnde ſibi timeat non habet iſte dies.
Quid facis ô Vatum non infima gloria Lundi,
Fabricio nunquam diſſociate tuo;
Aut tu, Vincenti, ſuperat quem nullus, & unum
Cui ſe contendat Lundius eſſe parem?
Felices Phœbus quibus eſt, & amica Cythere,
Quoſque ſibi petit hæc, & petit ille ſibi.
Vobis vel media ſub grandine naſcitur illud
Quod placido Muſæ condere Vere ſolent.
At quibus eſt Paphiæ tenuis reverentia Divæ,
His riget æterno Caſtalis unda gelu.

CORNELIVS GROTIVS.

ELE-

ELEGIARVM LIBER SECVNDVS.

VINC. FABRICII Ad JANVM BODECHERVM BANNINGIVM.

Hyemem amatori maxime aptam eſſe.

ELEGIA I.

OBliquam Phœbo ſubmiſit Aquarius urnam.
Paulatim relegunt ſidera Solis equi.
Vicinus Boreas arctoa per arva vagatur,
Induratque nives, & remoratur aquas.
Hoc ego ſub cœlo vobis, Bodechere, ſuperſum.
Proxima ſtat capiti Parrhaſis urſa meo.
Te quoque, ſed miti ſub ſidere, lenius urit,
Optime Benningi, ſed tamen urit hyems.
Incendant pueri congeſti ceſpitis ignes.
(Deficiunt nobis hoc quoque ligna loco)
Vináque libentur Batavis ſincera Camænis.
(Fabricio gratas reddite fata Deas.)
Inter vina mihi dulces memorentur amici.
Hoc mihi de vobis Dî ſupereſſe volunt.
Quot lepidas noctes jucunda reſumit imago!
Quos poſui tecum, quot Bodechere, dies!
Boulius arrepto cyatho clamare videtur:
Dent pia, Vincenti, fata, quod opto, tibi.
Leevvius applaudit: nec tu, reor, optime ceſſas,
Et memorem ſi quem non pudet eſſe mei.
Hæc ego dum meditor, vel tanquam facta recordor,
Labitur irriguus per mea membra Deus.

Vivatis

Digitized by Google

Vivatis ſocii. Superi feliciter annos
Continuent veſtros, adjiciantque meos.
Sic nos ante focum ducamus ſuaviter horas,
Et delectet hyems, nec gravis eſſe queat.
Deſipiat mecum, quiſquis ſapienter amabit.
Tutius hybernis noctibus illud aget.
Iam dudum tenebris uti didicêre puellæ.
Simplicius nulla tollitur arte pudor.
Cum neque vicinæ cuſtodia prodit amantem:
Cum ſedet in primo limine nulla parens.
Qui ſapit, aut latebras trepidæ condonet amicæ:
Aut ſpem decipiat ne miſer ipſe ſuam.
Verticis Idæi metuit Saturnia lucem:
Nubibus obductis non negat illa Iovi.
Raro contemnit famam profuſa libido;
Quæ cauta eſt, metuit, proſtituique timet.
Rumorem quiſquis poſtponi credit amori,
Ah nimium formam diligit ille ſuam.
Cum glacie ſteterint undæ, via pervia facta eſt,
Si tibi dilectam circuit unda domum.
Hoc tamen exiguum eſt. Sed, cum tibi venerit uſus,
Exiguum majus, quam nihil illud erit.
Nec te commoveat nocturni frigoris horror,
Ipſe licet Boreas pulſet utrumque latus
Plenior officio merces mihi crede futura eſt,
Tam dulces dominæ cum patuêre fores.
Hinc quoque, ſi neſcis, cogetur amare puella:
Hinc quoque ſe dignam ſentit amore tuo.
Si tamen in portum te detulit aurea Cypris,
Iamque patet votis tota puella tuis;
Elige de multis totius partibus anni,
Commodius nullum tempus habere potes.
Iupiter ut vellet binas committere noctes,
Cauſſa fuit vernæ tam breve noctis iter.
Ludere qui vultis, nimium ne credite Soli,
Proditus hoc Mavors, & Venus ipſa monet.
Diſſolvit Venerem, lateris cum viribus æſtas:
Præripiat Brumam, ſi qua puella ſapit.

Nunc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nunc quoque candidulas laſcivius implicat ulnas,
Et propius tenerum jungit amica latus.
Frigora cauſatur. Sed baſia cætera dicunt.
His etiam loquitur, ſollicitatque pudor.
Quæ tibi ſeponit tua Fulvia, Iane, precamur
Brumali eveniant gaudia nocte tibi.

ZACH. LVNDII
AD CHRISTIANVM CASSIVM,

Aeſtatem amoribus maxime aptam eſſe.

ELEGIA II.

CAſſi, cui præ me ridet fortuna beato
Sidere, & egregiis Pallas amica viris;
Cum patre Grotiade natus quem Grotius arſit,
Et pater Heinſiades, Heinſiadéſque minor;
Quem Franci, Belgæque ſibi, Cimbríque repoſcunt,
Quem pridem voluit Leucoris eſſe ſuum;
Dum calamo meliore refers convivia magni
Principis, & ſocii regia feſta tori:
Ingenuos luſus: vel quæ ſpectacula Circus
Exhibuit; vel quæ Comica turba dedit:
Quid mea forſan agat, mihi ſi qua Charinta, requiris,
An veteri gelidos temperet igne dies?
Omnia confiteor: poſtquam ſe pronior ignis
Solis in occiduas mergere cœpit aquas,
Cœpimus excluſis & nos torpeſcere flammis:
Pectora brumali diriguêre gelu.
Tempora vertuntur: certè vertuntur amantes.
Vt ſeſe cælum, ſic homo ſemper habet.
Cum gravis ardebat Phæbeis ignibus æſtas,
Ardebant flammis pectora noſtra ſuis.

Decre-

Digitized by Google

Decreſcente die, decrevit pectoris ardor.
Frigidus huc illuc, egelidusque feror.
Nec benè, ſi credis, cum frigore convenit æſtus,
In gelidam brumam non agit Ignis amor.
Nec Venus apta poteſt hyemi, nec filius eſſe:
Hæc tenera eſt: toto corpore nudus Amor.
Ipſa Charinta tepet multis hinc millibus abſens:
Nec quamvis cupiam viſere, bruma ſinet.
Ter volui veteres dominæ revocare calores:
Irrita fecerunt ter mea vota nives.
Interclusit iter glacies fallacior Albis:
Heu quod nec fragilis, nec ſolidata ſatis!
Sis mitis; pater Albi mihi. vel transfer amantem;
Tranandi liquidam vel mihi pande viam.
Sed cedat potius glacies, & Vere reverſo
Flamma vetus redeat, cumque calore calor.
Optat idem mea Lux: ſed eo ſapientius optat,
Quo tunc commodius ſentit amoris opus.
Diſcite qui ſapitis (ſi quis ſapit inter amantes)
Æſtivos hyemi præripuiſſe dies.
Iupiter ut poſuit cunctis ſua tempora rebus,
Iuſſit ut hoc tempus ſemper haberet Amor.
Conſilijs uſus felicibus inter amandum
Elector calidi temporis ipſe fuit.
Cum dulcem tulerat ſpatioſa per æquora prædam,
Nondum conſtrictus frigore Pontus erat.
Omnia ridebant, & erat formoſior annus
Cum bos in lætis luxuriaret agris.
Prima cupidinibus ſi ſola eſt apta juventus,
Et verum eſt, quod ſit turpe ſenilis amor;
Ver ſolum teneris dicetur amoribus aptum:
Hic hyemis ſpeciem, Veris at illa refert.
In gelidam quiſquis brumam ſuſpendit amores,
Crede mihi, flammas negligit ille ſuas.
Nubere Vere decet: ſic ut juvenilior ætas
Firmior, & qua non ardeat ulla magis.
Vt calor à bruma toto proſcribitur orbe:
Sic idem læto Vere receptus adeſt.

Vere

Vere calet gremium terræ, gremiúmque puellæ.
  Vere calent flamma mundus amorque pari.
Si tamen à brutis exemplum ſumere fas eſt,
  Non unquam melius conciliatur amor.
Tunc avis in ſilvis, & ſilva quod ardeat ipſa
  Ambit, & in media piſcis Amator aqua.
Oſcula dant Conchæ: repetit ſua murmura Turtur:
  Admittit cupidum fœta Columba marem.
Palmáque vicinæ tranſmittit brachia palmæ,
  Mixtáque ſtat myrtis Laurus opaca ſuis.
Quære toros, cum vena calet, cum ſanguis abundat,
  Cum caput æquoreis exerit Hædus aquis.
In Geminos tranſit Phœbus, duplicátque calores.
  Ardet, & in flammas omnis Olympus abit.
Hinc quoque, ſi neſcis, flammæ geminantur & ignes;
  Hinc quoque, ſi neſcis, fortius urit Amor.
Fortius urit amor, flammæque incendia flamma
  Ventilat, & ſtimulos ignis ab igne capit.
Dum redolet tellus herbis, dum campus ariſtis,
  Quin age feſtivo tempore diſce frui.
Si tibi dilectos paries disjungit amores,
  In rus cum ſola ſolus abire potes.
Heic impune licet, quicquid feciſſe voluptas
  Suaſerit, & fieri quæ ſine teſte velis.
Quod ſi conjugium cupis, & quod ludere poſſis,
  Omnia, præterquam carmina, ſilva dabit.
Ne tamen hæc deſint, verſus Philomela parabit.
  Cætera de viridi gramine Lectus habet.
Differ opus, cum Plëiadum ſe ſidera condunt:
  Cum remeant eadem, tutius omen erit.
Vere redit medio Tegeææ ſtella puellæ:
  Cur nisi quod caleat Vere puella magis.
Tunc dat ſponte tibi gratis, tunc baſia vendit,
  Quæ vix hyberna nocte coacta daret.
Non eſt ulla Deæ Paphiæ pars aptior anni.
  Lætatur pulchro tempore pulchra Venus.
Si qua mihi tecum, Caſſi, conceſſa puella eſt,
  Maturo veniat non niſi Vere precor.

Ambæ

Ambæ formoſæ formoſo tempore dentur,
 Quoque magis caleant, Veris adeſto calor.

VINCENT. FABRICII

Ad IANVM MEIERVM,

Nuptias Danicas ſpectantem.

Amatorem regi ſimilem eſſe.

ELEGIA III.

DVm quatit Arctoam tædis regalibus aulam,
 Feſtáque Principibus gaudia condit Hymen;
Te quoque lætitiam patriæ ſentire putamus
 Ante tuos poſitum, candide Iane, focos.
Cum tamen amplexus, & Principis oſcula cernis,
 Principis exemplo forſan amare potes.
Sæpius alterius quidam ſpectaverat ignes:
 Spectanti tacitus venit in oſſa calor.
Sed juvenes regum multo conſpectius ardent.
 Materies flammæ latior inde patet.
Vix Superum Rector fuerat manifeſtus amator:
 Intepuit ſubito quilibet igne Deus.
Inde Venus precibus Gradivi ceſſit amantis,
 Et Clytie Phœbo, Leucothoéque placent.
Inde replet terras, cælumque licentia Divûm:
 Inde timet Satyros ruſtica, ſi qua bona eſt.
Et tibi nunc quædam forſan regina vocatur:
 Et dominum rurſus te vocat illa ſuum.
Illius amplexu ſceptrum tranſcendis, & aulas;
 Et tibi regales credis habere manus.
Nec minus eſt formoſa; nec incivilis habetur;
 Baſia nec quicquam ruſticitatis habent.

Digitized by Google

Vt Princeps opibus nobis, vel origine diſtet:
Qui ſapiant, oculos an tamen unus habet?
Cedimus obſequio: nunquam cedemus amore.
Hac quoque nos reges conditione ſumus.
Qui ſuperos cælo detraxit, Iane, Iovemque,
Æquat amatores regibus ille puer.
Deſeruit regnumque Paris, regemque parentem:
Deſerti precium, cauſſaque Nympha fuit.
Impoſita quoties contingeret ubera dextra:
Iſte locus regnum eſt, dixit, & aula mihi.
Nec me deficiet noſtram jactare Merillam.
Principe digna viro, maluit eſſe mea.
Eſt mihi ſectus humum, puriſq; liquoribus udus
Hortulus: hunc mecum poſſidet illa tamen.
Areolas horti quoties numeramus & herbas,
Tot populos regni credimus eſſe mei.
Illa legit violas, vel decutit arbore poma:
Lætaque de quavis gente tributa petit.
Interea carmen mihi provenit inter odores.
Imperii cenſus dicitur iſte mei.
Non diadema tamen, non ſceptrum defuit unquam:
Implent ſerta caput, myrtea virga manum.
Omni pro regno: niſi quod nec ſica timetur,
Et dolor occluſas non ſedet ante fores.
Invidet & nemo: niſi quod fortaſſis amamur,
Penéque plus juſta parte Merilla favet.
Tutus ab inſidiis: niſi cum blandiſſima Virgo
Verſibus intento baſia pauca rapit.
Nec terit ambitio limen, ſed candor, & ille
Ingenuus puræ ſimplicitatis amor.
Hæc inter, teneram complexus, Iane, Merillam,
Principe dedignor quolibet eſſe minor.

ZACH.

ZACH. LVNDII

Ad CORNELIVM CRISPINVM, Vandalum.

Amatorem captivo & mancipio ſimilem eſſe.

ELEGIA IV.

CVi placuit Latiis exculta Batavia Muſis,
Leidáque Cecropiis doctior una Scholis;
Cur jam Palladios, celeberrima pectora, cætus
Deſpicis, ad patrios deſidioſe focos?
Quin age, Corneli, potior ſententia prima eſt,
Si ſapis, ad Phœbos diſce redire tuos.
Non ſinit acris hyems, inquis, non pulchra puella:
Impedit hæc blandis vocibus; illa gelu.
Credo ego, nec miror: (quis enim bene fugit amorē?)
Dîs etiam pedicas extruit ille ſuas.
Baſia cauſaris: nec opus fuit addere brumam,
Hactenus in cauſſam ſufficit unus amor.
Aſpice captivos ut circumducit amantes.
Aſpice, ſubjectis imperat ille Diis.
Degenerant alii: patrias hic vindicat artes:
Mulciber, exemplis utitur ille tuis.
Vincula quæ nectis furtim dum concipit uxor,
Vincula furtivus nectere diſcit Amor.
Ex illo totum ſibi debellavit Olympum.
Quid mirum? ſi nos ſub ſua jura trahat.
Ille velit, ſubito depônet tela triſulca
Iupiter, & fiet bos, ovis, imber, olor.
Ille velit, mox oblitus cytharæque ſuique
Perferet Æmonias paſcere Phœbus oves.
Iuſſerit, abjecta quæret Mars Caſſide Cyprin;
Iuſſerit, ipſa ſui neſcia Cypris erit.
Alcides mollem verſabit pollice telam:
O tantas poſcunt altera tela manus!
Nectit Atlantiades fruſtra talaria plantis,
Vt fugiat pueri retia, & ipſe volat.

Sæpe tibi eripuit virides, Semelëia, thyrſos;
  Excuſſa eſt liquido fuſcina ſæpe Deo.
Nunc quoq; ſuſpirat veteres Neptunus amores,
  Dum riget aſtrictis aſpera Tethys aquis.
Ipſe domi didicit, quam ſit res ſæva Cupido,
  Lundius exemplum cur aliunde petam?
Nulla fugæ ratio eſt poſtquam ſum factus amator.
  Impediunt curſus vincula lenta meos.
Baſiolis jungit blandiſſima verba Charinta:
  Sic volucrem viſco fiſtula juncta capit.
Explicat ornandos operoſa miniſtra capillos:
  Adſtat, & hinc tacite vincula nectit Amor.
Sed neque Lictores deſunt, quos mittat, ocelli.
  Nec Carcer, nam pro carcere pectus habet.
Omnia ſuſtineo: niſi quod cuſtodia duplex
  Excubat ad ſurdas ſpeſque metuſque fores.
Flagra tamen patimur: dominæ ſunt verba minantis,
  Quodque ſupercilium fulmine pene necat.
Subvenit & nemo: niſi cum fortaſſe Thalia
  Dulcia Caſtaliis porrigit hauſta vadis.
Sic ego mancipium pridem ſum factus amoris:
  Nec fieri liber ſpero, nec eſſe volo.
At tu, Corneli, me vindice, diſce putare
  Servitium, puero ſub duce ſigna ſequi.

VINC. FABRICII

AD DIDACVM PLANCIVM.

Amatorem audacem eſſe debere.

ELEGIA V.

DIdace, quem miſero trepidantem addixit amori
  Ridiculo forſan crimine læſa Venus.
Quid juvat inſomnes gemitu producere noctes,
  Teſtarique Deos, de Dominaque queri?
Si nihil ah ſimplex cæptis in amoribus audes;
  Fortunam trepido ſi premis ipſe metu,

Nunc

Nunc tantum foribus ſurdis maleſanus oberras,
Oſtendat Dominam ſi qua feneſtra tibi.
Callida furtivo ridens de poſte puella,
Suavius hoc miſero nullus amavit, ait.
Didace pone metum: quam ſi non ponere noſti,
Tam male ponatur conciliatus amor.
Sume animum, frontemq; viri; potière cupita.
Ruſticitate poteſt femina nulla capi.
Quam miſer erubui nuper præſente puella,
Fortia præriperet cum tibi verba pudor.
Illa quidem amplexus agitabat & oſcula ſecum:
Te tuus attonuit, deſtituitque metus.
Senſi purpureum totis traxiſſe ruborem,
Cum pavidus ſtares, & ſine mente, genis.
Illa tamen vultuque oculiſque exorat amorem:
Conjungunt tacitas pectus & ora preces.
Nec tetricos mores, nec credimus eſſe ſeveram,
Tam lepidam frontem cui Cytherea dedit.
Formoſam timide quiſquis compellat amicam,
Me ſceleris tanti non agat ille reum.
Te quoque de Domina quicquam ſperare vetamus,
Ni male conſulta ſimplicitate cares.
Ridet amatores Cytherea proterva timentes.
Ludibrium pulchræ nolumus eſſe Deæ.
Crede mihi, cupiunt quæcunq; ubicunq; puellæ.
Ah tam feſtivo crimine nulla vacat!
Quod teneo gremium Dominæ, quod baſia libo;
Præmia non pavidi pectoris illa fero.
Parcius id facerem; cum me vocat illa ſceleſtum?
Mitius iraſci nulla puella poteſt.
Cum nimis audacem clamat, petulantius inſto.
Vincitur, & cogi gaudet, & eſſe minor.
Ah quoties matrem cauſſata, leveſque ſuſurros,
Cum premerem, vanos prodidit ipſa metus.
Vix mihi colloquii conceſſa eſt copia primi,
Colloquio primo baſia bina tuli.
Nec tamen excludi merui tam liber amator.
Profuit audentem non tenuiſſe manum.

Qualiter averſos incumbit victor in hoſtes,
Id tamen ad famam non putat eſſe ſatis.
Sed celer in tergis hæret,ſpoliiſque potitus
Arma tenet valida,raptáque ſigna manu.
Sic dominæ dextram,mox colla genaſque ſubegi,
Illáque Acidaliis æmula labra roſis.
Mox habiles ſenſim tangi didicêre papillæ.
Tam pulchro poſui noſtra trophæa loco.
Vlterius ſi quid:forſan ſuccumberet illa,
Nec nimium ſimplex me trahit inde timor.
Sed quod amo Dominam,tangorque libidine nulla,
Delitias modicas ſuaſit utrique pudor.
Qui timidus non eſt, ne ſit laſcivus amator,
Qui ſapit,exemplo diſcat amare meo.

ZACH. LVNDII
Ad CAROLVM GENTILEM.

Amatorem timidum eſſe debere.

ELEGIA VI.

CArole,qui nondum quid ſit Venus efferа noſti,
Cui nunquam illuſit fraude protervus amor,
Cur mihi jam toties,timidos cur objicis ignes,
Et pavidum verè pectus amare negas?
Præcipis ut poſcam quidvis audacter amicam,
Ne pereant turpi tot mihi dona metu.
Non tutum eſt quod amice mones: ſit blanda licebit,
Miſta tamen caſto eſt noſtra pudore Venus.
Atque utinam ſoli maneat mihi caſta Charinta,
Nequitiæque velit non meminiſſe meæ.
Fallor?an externos jam nunc conquirit amores.
Lundius hæc calidæ præmia mentis habet.
Et merito:quid enim monitus accepimus omnes?
Illa levis facta eſt credulitate mea.

Cauſſa

Cauſſa tamen non tota mea eſt, ex parte puellæ eſt,
Tertia pars, ſed pars maxima ſola tua eſt.
Aſpice, dum per te nimium petulanter amamus,
Excidimus cunctis, Carole, pene bonis.
Vera loquor: nec dum pulſis lux orta tenebris,
Obſeſſumque gravi frigore corpus erat.
Acceſſi Dominam ſolitos canturus amores,
Quos ex quo cæpit temnere, menſis abit.
Illa ſed expaſſos thalamo formoſa capillos
Vt decet, heſterno laſſa labore jacet.
Qualis feſſa olim peragratis Delia ſilvis
Fertur in umbroſis accubuiſſe toris:
Qualis & Heſperio quo ſegnior exit ab ortu
Pulchrior hyberno tempore Phœbus adeſt.
Quid facies? dixi; mittenda occaſio non eſt;
Aude aliquid, ſubito tempora noctis eunt.
At (memini) vigilem cum non ambire timebas,
Nunc jacet, & nullo ſanguine pectus habes?
Ni facias, pudor eſt: facies? audacia magna eſt.
At decet, & fas eſt, quod jubet acer amor.
Plus valuêre tamen tot amici verba monentis,
Illa fere léti cauſſa fuêre mei.
Illa coëgerunt poſitos accedere lectos,
Oſculáque admota ſumere pauca manu.
Vnica ſumebam, ſomnoque excuſſa jacebat
Plus nequii, pavido dextra retenta metu eſt.
Ah nimium ſumpſi: nam quid niſi jurgia ſperem?
Dî precor, heic fluctus fregerit ira ſuos!
Siccine Fur, inquit, noſtram turbare quietem
Auſus es, & labris tangere noſtra tuis?
Hactenus audaci licuit tibi, deſine poſthac;
Aut niſi deſieris, deſinet ipſus amor.
Scilicet hoc nôram: nocuit fiducia certe
Pluribus in rebus, plus in amore tamen.
Quiſquis amas Iuvenis, nimium non eſto protervus:
Vrit amor: tangi ſulphuris inſtar amat.
Sperabis mecum pariter, pariterque timebis,
Quæ non eſt hodie, cras bona forſan erit.

Digitized by Google

Nolumus audaces immitia vellere poma,
Quæ matura ſua poſtmodo ſponte cadent.
Ah! levis eſt, mites quæ moverit ira puellas,
Quæque tot amplexus ſolverit hora brevis.
Sæpe ratus ſalva portum ſubjiſſe carina,
Nauta ruit mediis naufragus æquoribus.
Carole, ſi qua mones, conſultior admone amantes.
Non habet eventus vox maleſuada bonos.

VINC. FABRICII

Ad ERASMVM SELTAM,

De ejus Nyctide.

Deformes pulchris præferendas eſſe.

ELEGIA VII.

ANnos pene duos in Nyctide ludis, Eraſme:
Iam nimium ſero diſplicet illa tibi.
Crede mihi, quem non admittere turpe putabas,
Turpiter infelix ejicietur amor.
Aſt nimis abſurda eſt: talem reor ante fuiſſe,
Cum tibi vel Leda pulchrior illa foret.
Erraviſſe tamen quereris. Quid fecit amica?
Erroris pœnas cur dabit illa tui?
Nempe verecunda eſt, vitiumque pudore rependit.
Ille pudor formæ pondus & inſtar habet.
Elige formoſam: veniet metuendus adulter.
Quod pateris, minus eſt, ſimpliciuſque malum.
Nyctidis haud onerant alieni colla lacerti;
Nec tua, quæ jactet, gaudia mæchus habet.
Præter anum matrem, Selta, vetulumque parentem
In tota, quod amet, non habet illa domo.
Nemo mane notat poſitos in limine flores:
Non ibi verſiculi, non ibi ſerta jacent.
Non veniunt in idem pudor, & præſtantia formæ.
Ah ſatis inſidias nulla venuſta cavet.

Nec

Nec mirum, ſi mille dolis, totieſque petita
  Læſa pudicitia eſt, ſuccubuitque ſemel.
Amovit reliquos, Atridæ Tyndaris uni,
  Et tibi me, dixit, trado meamque fidem.
Servaſſetque fidem, ſi non formoſa fuiſſet.
  Hoc vacuum Nyctis te jubet eſſe metu.
Archidamus ſapuit: poſitis ante ora duabus,
  Virginis illepidæ maluit eſſe procus.
Et pariter (mulctam Lacedæmon ſtulta popoſcit)
  Hoc precium fidæ conjugis, inquit, erit.
Adde quod & faſtus ſequitur plerumq; venuſtas,
  Ipſa ſuam faciem ſi qua puella probat.
Hinc ancilla procax, & raro limen amicum,
  Et Dominæ mores janua docta ſuæ.
Quam turpe eſt nunquam recipi, niſi ploret amator,
  Et macies miſeras multa ſtet ante genas.
Pluráque, queis ſtolidus duravi ſæpe ferendis.
  Eveniat nulli, nec tibi, talis amor.
Fata tuam ſervant modo Nyctida dulcis Eraſme,
  Gratior haud ullum limen adire potes.
Ipſe venis quoties, occurrit, & oſcula jungit.
  Quæ tamen invideat oſcula nemo tibi.
Lætitiam trepidando, oculis teſtatur amorem.
  Omnia ſi poſcas, non reor eſſe gravem.
Ille tamen vultus nullis violatur ab annis.
  Formoſæ ſenii damna ſubinde timent.
Eveniat morbus: minimum corrumpet in illa.
  Vre alias; iſtic nil tibi, Phœbe, licet.
Quam tamen illepidam dicis, nec poſſe placere.
  Quo tandem facies crimine facta rea eſt?
Prominulos oculos ſtulte damnabis, amice:
  His quoque tranſverſim, cum volet, illa videt.
Et ſimæ nares, oculis quod parcius obſtant,
  Sic etiam laudem quo mereantur, habent.
Et quia commodius ſic percipiuntur odores,
  Vtitur utilius naribus illa ſuis.
Has probat in noſtra, mihi crede, Merilla Lyciſca.
  Hæc quoque judicio, ſi valet ulla, valet.

Digitized by Google

Vere calet gremium terræ, gremiúmque puellæ.
  Vere calent flamma mundus amorque pari.
Si tamen à brutis exemplum ſumere fas eſt,
  Non unquam melius conciliatur amor.
Tunc avis in ſilvis, & ſilva quod ardeat ipſa
  Ambit, & in media piſcis Amator aqua.
Oſcula dant Conchæ: repetit ſua murmura Turtur:
  Admittit cupidum fœta Columba marem.
Palmáque vicinæ tranſmittit brachia palmæ,
  Mixtáque ſtat myrtis Laurus opaca ſuis.
Quære toros, cum vena calet, cum ſanguis abundat,
  Cum caput æquoreis exerit Hædus aquis.
In Geminos tranſit Phœbus, duplicátque calores.
  Ardet, & in flammas omnis Olympus abit.
Hinc quoque, ſi neſcis, flammæ geminantur & ignes;
  Hinc quoque, ſi neſcis, fortius urit Amor.
Fortius urit amor, flammæque incendia flamma
  Ventilat, & ſtimulos ignis ab igne capit.
Dum redolet tellus herbis, dum campus ariſtis,
  Quin age feſtivo tempore diſce frui.
Si tibi dilectos paries disjungit amores,
  In rus cum ſola ſolus abire potes.
Heîc impune licet, quicquid feciſſe voluptas
  Suaſerit, & fieri quæ ſine teſte velis.
Quod ſi conjugium cupis, & quod ludere poſſis,
  Omnia, præterquam carmina, ſilva dabit.
Ne tamen hæc deſint, verſus Philomela parabit.
  Cætera de viridi gramine Lectus habet.
Differ opus, cum Plëiadum ſe ſidera condunt:
  Cum remeant eadem, tutius omen erit.
Vere redit medio Tegeææ ſtella puellæ:
  Cur nisi quod caleat Vere puella magis.
Tunc dat ſponte tibi gratis, tunc baſia vendit,
  Quæ vix hyberna nocte coacta daret.
Non eſt ulla Deæ Paphiæ pars aptior anni.
  Lætatur pulchro tempore pulchra Venus.
Si qua mihi tecum, Caſſi, conceſſa puella eſt,
  Maturo veniat non niſi Vere precor.

Ambæ

Ambæ formoſæ formoſo tempore dentur,
Quoque magis caleant, Veris adeſto calor.

VINCENT. FABRICII

Ad IANVM MEIERVM, Nuptias Danicas ſpectantem.

Amatorem regi ſimilem eſſe.

ELEGIA III.

DVm quatit Arctoam tædis regalibus aulam,
Feſtáque Principibus gaudia condit Hymen;
Te quoque lætitiam patriæ ſentire putamus
Ante tuos poſitum, candide Iane, focos.
Cum tamen amplexus, & Principis oſcula cernis,
Principis exemplo forſan amare potes.
Sæpius alterius quidam ſpectaverat ignes:
Spectanti tacitus venit in oſſa calor.
Sed juvenes regum multo conſpectius ardent.
Materies flammæ latior inde patet.
Vix Superum Rector fuerat manifeſtus amator:
Intepuit ſubito quilibet igne Deus.
Inde Venus precibus Gradivi ceſſit amantis,
Et Clytie Phœbo, Leucothoéque placent.
Inde replet terras, cælumque licentia Divûm:
Inde timet Satyros ruſtica, ſi qua bona eſt.
Et tibi nunc quædam forſan regina vocatur:
Et dominum rurſus te vocat illa ſuum.
Illius amplexu ſceptrum tranſcendis, & aulas;
Et tibi regales credis habere manus.
Nec minus eſt formoſa; nec incivilis habetur;
Baſia nec quicquam ruſticitatis habent.

Vt Princeps opibus nobis, vel origine diſtet:
Qui ſapiant, oculos an tamen unus habet?
Cedimus obſequio: nunquam cedemus amore.
Hac quoque nos reges conditione ſumus.
Qui ſuperos cælo detraxit, Iane, Iovemque,
Æquat amatores regibus ille puer.
Deſeruit regnumque Paris, regemque parentem:
Deſerti precium, cauſſaque Nympha fuit.
Impoſita quoties contingeret ubera dextra:
Iſte locus regnum eſt, dixit, & aula mihi.
Nec me deficiet noſtram jactare Merillam.
Principe digna viro, maluit eſſe mea.
Eſt mihi ſectus humum, puriſq; liquoribus udus
Hortulus: hunc mecum poſſidet illa tamen.
Areolas horti quoties numeramus & herbas,
Tot populos regni credimus eſſe mei.
Illa legit violas, vel decutit arbore poma:
Lætaque de quavis gente tributa petit.
Interea carmen mihi provenit inter odores.
Imperii cenſus dicitur iſte mei.
Non diadema tamen, non ſceptrum defuit unquam:
Implent ſerta caput, myrtea virga manum.
Omni pro regno: niſi quod nec ſica timetur,
Et dolor occluſas non ſedet ante fores.
Invidet & nemo: niſi quod fortaſſis amamur,
Penéque plus juſta parte Merilla favet.
Tutus ab inſidiis: niſi cum blandiſſima Virgo
Verſibus intento baſia pauca rapit.
Nec terit ambitio limen, ſed candor, & ille
Ingenuus puræ ſimplicitatis amor.
Hæc inter, teneram complexus, Iane, Merillam,
Principe dedignor quolibet eſſe minor.

Digitized by Google

ZACH. LVNDII

Ad CORNELIVM CRISPINVM, Vandalum.

Amatorem captivo & mancipio ſimilem eſſe.

ELEGIA IV.

CVi placuit Latiis exculta Batavia Muſis,
Leidáque Cecropiis doctior una Scholis;
Cur jam Palladios, celeberrima pectora, cætus
Deſpicis, ad patrios deſidioſe focos?
Quin age, Corneli, potior ſententia prima eſt,
Si ſapis, ad Phœbos diſce redire tuos.
Non ſinit acris hyems, inquis, non pulchra puella:
Impedit hæc blandis vocibus; illa gelu.
Credo ego, nec miror: (quis enim bene fugit amorē?)
Dîs etiam pedicas extruit ille ſuas.
Baſia cauſaris: nec opus fuit addere brumam,
Hactenus in cauſſam ſufficit unus amor,
Aſpice captivos ut circumducit amantes.
Aſpice, ſubjectis imperat ille Diis.
Degenerant alii: patrias hic vindicat artes:
Mulciber, exemplis utitur ille tuis.
Vincula quæ nectis furtim dum concipit uxor,
Vincula furtivus nectere diſcit Amor.
Ex illo totum ſibi debellavit Olympum.
Quid mirum? ſi nos ſub ſua jura trahat.
Ille velit, ſubito depônet tela triſulca
Iupiter, & fiet bos, ovis, imber, olor.
Ille velit, mox oblitus cytharæque ſuique
Perferet Æmonias paſcere Phœbus oves.
Iuſſerit, abjecta quæret Mars Caſſide Cyprin;
Iuſſerit, ipſa ſui neſcia Cypris erit.
Alcides mollem verſabit pollice telam:
O tantas poſcunt altera tela manus!
Nectit Atlantiades fruſtra talaria plantis,
Vt fugiat pueri retia, & ipſe volat.

Sæpe tibi eripuit virides, Semeleïa, thyrſos;
Excuſſa eſt liquido fuſcina ſæpe Deo.
Nunc quoq; ſuſpirat veteres Neptunus amores,
Dum riget aſtrictis aſpera Tethys aquis.
Ipſe domi didicit, quam ſit res ſæva Cupido,
Lundius exemplum cur aliunde petam?
Nulla fugæ ratio eſt poſtquam ſum factus amator.
Impediunt curſus vincula lenta meos.
Baſiolis jungit blandiſſima verba Charinta:
Sic volucrem viſco fiſtula juncta capit.
Explicat ornandos operoſa miniſtra capillos :
Adſtat, & hinc tacite vincula nectit Amor.
Sed neque Lictores deſunt, quos mittat, ocelli.
Nec Carcer, nam pro carcere pectus habet.
Omnia ſuſtineo: niſi quod cuſtodia duplex
Excubat ad ſurdas ſpeſque metuſque fores.
Flagra tamen patimur: dominæ ſunt verba minantis,
Quodque ſupercilium fulmine pene necat.
Subvenit & nemo: niſi cum fortaſſe Thalia
Dulcia Caſtaliis porrigit hauſta vadis.
Sic ego mancipium pridem ſum factus amoris:
Nec fieri liber ſpero, nec eſſe volo.
At tu, Corneli, me vindice, diſce putare
Servitium, puero ſub duce ſigna ſequi.

VINC. FABRICII

AD DIDACVM PLANCIVM.

Amatorem audacem eſſe debere.

ELEGIA V.

DIdace, quem miſero trepidantem addixit amori
Ridiculo forſan crimine læſa Venus.
Quid juvat inſomnes gemitu producere noctes,
Teſtarique Deos, de Dominaque queri?
Si nihil ah ſimplex cæptis in amoribus audes;
Fortunam trepido ſi premis ipſe metu,

Nunc

Digitized by Google

Nunc tantum foribus ſurdis maleſanus oberras,
Oſtendat Dominam ſi qua feneſtra tibi.
Callida furtivo ridens de poſte puella,
Suavius hoc miſero nullus amavit, ait.
Didace pone metum: quam ſi non ponere noſti,
Tam male ponatur conciliatus amor.
Sume animum, frontemq; viri; potière cupita.
Ruſticitate poteſt femina nulla capi.
Quam miſer erubui nuper præſente puella,
Fortia præriperet cum tibi verba pudor.
Illa quidem amplexus agitabat & oſcula ſecum:
Te tuus attonuit, deſtituitque metus.
Senſi purpureum totis traxiſſe ruborem,
Cum pavidus ſtares, & ſine mente, genis.
Illa tamen vultuque oculiſque exorat amorem:
Conjungunt tacitas pectus & ora preces.
Nec tetricos mores, nec credimus eſſe ſeveram,
Tam lepidam frontem cui Cytherea dedit.
Formoſam timide quiſquis compellat amicam,
Me ſceleris tanti non agat ille reum.
Te quoque de Domina quicquam ſperare vetamus,
Ni male conſulta ſimplicitate cares.
Ridet amatores Cytherea proterva timentes.
Ludibrium pulchræ nolumus eſſe Deæ.
Crede mihi, cupiunt quæcunq; ubicunq; puellæ.
Ah tam feſtivo crimine nulla vacat!
Quod teneo gremium Dominæ, quod baſia libo;
Præmia non pavidi pectoris illa fero.
Parcius id facerem; cum me vocat illa ſceleſtum?
Mitius iraſci nulla puella poteſt.
Cum nimis audacem clamat, petulantius inſto.
Vincitur, & cogi gaudet, & eſſe minor.
Ah quoties matrem cauſſata, leveſque ſuſurros,
Cum premerem, vanos prodidit ipſa metus.
Vix mihi colloquii conceſſa eſt copia primi,
Colloquio primo baſia bina tuli.
Nec tamen excludi merui tam liber amator.
Profuit audentem non tenuiſſe manum.

Digitized by Google

Qualiter averſos incumbit victor in hoſtes,
Id tamen ad famam non putat eſſe ſatis.
Sed celer in tergis hæret,ſpoliiſque potitus
Arma tenet valida,raptáque ſigna manu.
Sic dominæ dextram,mox colla genaſque ſubegi,
Illáque Acidaliis æmula labra roſis.
Mox habiles ſenſim tangi didicêre papillæ.
Tam pulchro poſui noſtra trophæa loco.
Vlterius ſi quid:forſan ſuccumberet illa,
Nec nimium ſimplex me trahit inde timor.
Sed quod amo Dominam,tangorque libidine nulla,
Delitias modicas ſuaſit utrique pudor.
Qui timidus non eſt, ne ſit laſcivus amator,
Qui ſapit,exemplo diſcat amare meo.

ZACH. LVNDII

Ad CAROLVM GENTILEM.

Amatorem timidum eſſe debere.

ELEGIA VI.

CArole,qui nondum quid ſit Venus effera noſti,
Cui nunquam illuſit fraude protervus amor,
Cur mihi jam toties,timidos cur objicis ignes,
Et pavidum verè pectus amare negas?
Præcipis ut poſcam quidvis audacter amicam,
Ne pereant turpi tot mihi dona metu.
Non tutum eſt quod amice mones: ſit blanda licebit,
Miſta tamen caſto eſt noſtra pudore Venus.
Atque utinam ſoli maneat mihi caſta Charinta,
Nequitiæque velit non meminiſſe meæ.
Fallor?an externos jam nunc conquirit amores.
Lundius hæc calidæ præmia mentis habet.
Et merito: quid enim monitus accepimus omnes?
Illa levis facta eſt credulitate mea.

Cauſſa

Cauſſa tamen non tota mea eſt, ex parte puellæ eſt,
Tertia pars, ſed pars maxima ſola tua eſt.
Aſpice, dum per te nimium petulanter amamus,
Excidimus cunctis, Carole, pene bonis.
Vera loquor: nec dum pulſis lux orta tenebris,
Obſeſſumque gravi frigore corpus erat.
Acceſſi Dominam ſolitos canturus amores,
Quos ex quo cœpit temnere, menſis abit.
Illa ſed expaſſos thalamo formoſa capillos
Vt decet, heſterno laſſa labore jacet.
Qualis feſſa olim peragratis Delia ſilvis
Fertur in umbroſis accubuiſſe toris:
Qualis & Heſperio quo ſegnior exit ab ortu
Pulchrior hyberno tempore Phœbus adeſt.
Quid facies? dixi; mittenda occaſio non eſt;
Aude aliquid, ſubito tempora noctis eunt.
At (memini) vigilem cum non ambire timebas,
Nunc jacet, & nullo ſanguine pectus habes?
Ni facias, pudor eſt: facies? audacia magna eſt.
At decet, & fas eſt, quod jubet acer amor.
Plus valuêre tamen tot amici verba monentis,
Illa fere léti cauſſa fuêre mei.
Illa coëgerunt poſitos accedere lectos,
Oſculáque admota ſumere pauca manu.
Vnica ſumebam, ſomnoque excuſſa jacebat
Plus nequii, pavido dextra retenta metu eſt.
Ah nimium ſumpſi: nam quid niſi jurgia ſperem?
Dî precor, heic fluctus fregerit ira ſuos!
Siccine Fur, inquit, noſtram turbare quietem
Auſus es, & labris tangere noſtra tuis?
Hactenus audaci licuit tibi, deſine poſthac;
Aut niſi deſieris, deſinet ipſus amor.
Scilicet hoc nôram: nocuit fiducia certe
Pluribus in rebus, plus in amore tamen.
Quiſquis amas Iuvenis, nimium non eſto protervus:
Vrit amor: tangi ſulphuris inſtar amat.
Sperabis mecum pariter, pariterque timebis,
Quæ non eſt hodie, cras bona forſan erit.

Nolumus audaces immitia vellere poma,
Quæ matura ſua poſtmodo ſponte cadent.
Ah! levis eſt, mites quæ moverit ira puellas,
Quæque tot amplexus ſolverit hora brevis.
Sæpe ratus ſalva portum ſubjiſſe carina,
Nauta ruit mediis naufragus æquoribus.
Carole, ſi qua mones, conſultior admone amantes.
Non habet eventus vox maleſuada bonos.

VINC. FABRICII

Ad ERASMVM SELTAM,
De ejus Nyctide.

Deformes pulchris præferendas eſſe.

ELEGIA VII.

ANnos pene duos in Nyctide ludis, Eraſme:
Iam nimium ſero diſplicet illa tibi.
Crede mihi, quem non admittere turpe putabas,
Turpiter infelix ejicietur amor.
Aſt nimis abſurda eſt: talem reor ante fuiſſe,
Cum tibi vel Leda pulchrior illa foret.
Erraviſſe tamen quereris. Quid fecit amica?
Erroris pœnas cur dabit illa tui?
Nempe verecunda eſt, vitiumque pudore rependit.
Ille pudor formæ pondus & inſtar habet.
Elige formoſam: veniet metuendus adulter.
Quod pateris, minus eſt, ſimpliciuſque malum.
Nyctidis haud onerant alieni colla lacerti;
Nec tua, quæ jactet, gaudia mæchus habet.
Præter anum matrem, Selta, vetulumque parentem
In tota, quod amet, non habet illa domo.
Nemo mane notat poſitos in limine flores:
Non ibi verſiculi, non ibi ſerta jacent.
Non veniunt in idem pudor, & præſtantia formæ.
Ah ſatis inſidias nulla venuſta cavet.

Nec

Digitized by Google

Nec mirum, ſi mille dolis, totieſque petita
  Læſa pudicitia eſt, ſuccubuitque ſemel.
Amovit reliquos, Atridæ Tyndaris uni,
  Et tibi me, dixit, trado meamque fidem.
Servaſſetque fidem, ſi non formoſa fuiſſet.
  Hoc vacuum Nyctis te jubet eſſe metu.
Archidamus ſapuit: poſitis ante ora duabus,
  Virginis illepidæ maluit eſſe procus.
Et pariter (mulctam Lacédæmon ſtulta popoſcit)
  Hoc precium fidæ conjugis, inquit, erit.
Adde quod & faſtus ſequitur plerumq; venuſtas,
  Ipſa ſuam faciem ſi qua puella probat.
Hinc ancilla procax, & raro limen amicum,
  Et Dominæ mores janua docta ſuæ.
Quam turpe eſt nunquam recipi, niſi ploret amator,
  Et macies miſeras multa ſtet ante genas.
Pluráque, queis ſtolidus duravi ſæpe ferendis.
  Eveniat nulli, nec tibi, talis amor.
Fata tuam ſervant modo Nyctida dulcis Eraſme,
  Gratior haud ullum limen adire potes.
Ipſe venis quoties, occurrit, & oſcula jungit.
  Quæ tamen invideat oſcula nemo tibi.
Lætitiam trepidando, oculis teſtatur amorem.
  Omnia ſi poſcas, non reor eſſe gravem.
Ille tamen vultus nullis violatur ab annis.
  Formoſæ ſenii damna ſubinde timent.
Eveniat morbus: minimum corrumpet in illa.
  Vre alias; iſtic nil tibi, Phœbe, licet.
Quam tamen illepidam dicis, nec poſſe placere,
  Quo tandem facies crimine facta rea eſt?
Prominulos oculos ſtulte damnabis, amice:
  His quoque tranſverſim, cum volet, illa videt.
Et ſimæ nares, oculis quod parcius obſtant,
  Sic etiam laudem quo mereantur, habent.
Et quia commodius ſic percipiuntur odores,
  Vtitur utilius naribus illa ſuis.
Has probat in noſtra, mihi crede, Merilla Lyciſca.
  Hæc quoque judicio, ſi valet ulla, valet.

Labra tument inquis. ſed habent quoque talia Fauni,
Quos Dryades pariunt, Naiˈdesque Deæ.
Nigricat. Andromede Cephëia talis amata eſt.
Et niger uberius ſemina reddit ager.
Tale merum cœnis Heroum apponit Homerus.
His quoque guſtandis ingenioſus erat.
Oebalium florem, violamq; ad ſerta requirunt:
Et tamen hæc fuſca eſt; & tamen ille niger.
Accipe in exemplum volucres ratione carentes:
Nigra placet niveo ſæpe columba viro
Pſittacus eſt viridis, turtur redamatur ab illo,
Et merula à turdo: nec color ille nocet.
Quod ſupereſt dicet pro Nyctide mater amorum.
Ipſa nigri voluit eſſe marita Fabri.

ZACH. LVNDII

Ad ALEXANDRVM LÆLIVM de ejus Margaride.

Pulchras deformibus eſſe præponendas.

ELEGIA VIII.

FRigore quæque rigent & tu tamen ignibus ardes.
Ah nimium Læli, rara in amore fides!
Crede mihi, ceu Vere novo me fortius urit,
Sic meus hyberno eſt tempore lentus amor.
At tua formoſa eſt: nec ſe male credit amari
Illa Deæ facies, & decor arte carens.
Scilicet is felix, quem forma venuſtior urit;
Quem donat pulchra Virgine pulchra Venus.
Et tibi tendebat quoniam ſua retia Cypris
Formoſæ melior præda futurus eras.
Elige deformem: veniet decor alter emendus.
Abſumet nummos merx peregrina tuos.

Quam

Digitized by Google

Quam natura negat, chare mercabere formam.
Celari damno vult ſua damna tuo.
Margaris externo precio formoſa negatur:
Naturam, qua ſe rectius ornet, habet.
Non opus eſt ſertis: ipſi ſunt ſerta capilli.
Pulchrior ingenio ſtat coma flexa ſuo.
Oeſypa non coëmes: meliores ſpirat odores,
Tinctáque nativo ſanguine labra rubent.
Non placet empta Venus: formoſam præfero: ſed quæ
Sponte ſua, nullo munere culta nitet.
Ceſſerit Ornatrix, & erit non pulchra Corinna.
Ablue rubricam: Delia turpis erit.
Cynthia, ne caperet formoſior altera Vatem;
Pulchra peregrinis maluit eſſe bonis.
Margaris hoc nolit: ſatis eſt nativa venuſtas.
Vt placeat nullas clam tibi carpet opes.
Nec pigeat, quod quiſque tuos Rivalis amores
Ambiat, hinc etiam charior eſſe poteſt.
Non ego ſtultus amem, niſi quod ſibi quilibet optet;
Et mihi quæ nulli diſplicet, illa placet.
Invidiam pateris? plures tua Margaris uſſit?
Invidiæ pudeat non tamen eſſe reum.
Dulce eſt tunc recipi, cum ſpes habet irrita multos,
Clauſaque ſtant aliis limina, aperta tibi.
Nec te unum formoſa minus conſtanter amabit:
Vulgus formoſas credidit eſſe leves.
Fucatis ſtudium eſt plures conquirere amantes,
Queis veluti facies eſt levis ipſe pudor.
Penelope formoſa fuit (quis credere nollet?)
Nempe illa innumeris ſollicitata procis.
Pulchra fuit multis: uni ſed fida marito.
Tu quoque Siſyphides hactenus alter eris.
Nulla mihi faveat, niſi quam concinna venuſtet
Gratia, non tetris frons maculata notis.
Hoſtibus eveniat, ſi quæ ſit lumine luſca.
Forſitan eveniet hinc quoque luſcus amor.
Odi turgentes, non dignas Virgine malas.
Polluitur nulla fœmina labe magis.

Digitized by Google

Vidit, & abſtinuit calamos inflare Minerva.
  I, dixit, tanti eſt tibia nulla mihi.
Vt nos ſpreta decet facies, ſic blanda puellas.
  Hæc plures, nullos ſordida forma capit.
Tyndaris Oenonæ Phrygio præfertur amanti;
  Scilicet abſurda hæc, illa venuſta fuit.
Ipſa Venus ſapuit: nigri pertæſa Mariti
  Belligero voluit concubuiſſe Deo.
Scilicet haurimus puris è fontibus undas:
  Colluvies nulli pulvere craſſa placet.
Delitium noſtræ nivea eſt Melitæa Charintæ.
  Agnam quæ molli vellere candet, amat.
Aſpice quos modo ſubmittit bruma ipſa nitores,
  Candidior poſita ſub nive terra latet.
Si quiſquam afficitur formoſo flore roſarum,
  Idalias vincunt pulchra labella roſas.
Cerea pruna cupis? Sed quis non vellet amicam,
  Quæ ſuperet flavis cerea pruna comis?
Quod ſupereſt optes, quoties te Margaris urit,
  Vrat ut & Vatem non niſi pulchra tuum.

VINC. FABRICII

Ad THEODORVM BOVLIVM.

Se puellas ſimplices maxime amare.

ELEGIA IX.

DOcta parum eſt, inquis, quamvis formoſa Merilla:
  Ruſticus eſt, talem ſi quis amare poteſt.
Illa tamen ſimplex animum ſine crimine geſtat;
  Hunc animum, Bouli, fas ſit amare mihi.
Quamlibet argutas tota tibi collige Leida:
  Conveniant quotquot nobilis Haga capit:
His compone meam. Bouli, de mille puellis,
  Si pateris, tanta non amat ulla fide.

Digitized by Google

Illas à teneris crimen didiciſſe juvabit:
Noſtra pudicitiam ſimplicitate probat.
Vt neque verſuta eſt, ſic nec facunda Merilla eſt.
Nec moveor Bouli. ſufficit eſſe bonam.
Turpe vir imbellis: turpe eſt vinoſa Senectus:
Turpe levis juvenis: turpe puella loquax.
Quæ tibi tam lepide dicit tua Phyllis in aurem,
Scilicet haud uni dixerat ante viro.
Illaque luctantes quæ nectunt oſcula linguas,
Queis Iuvenum caſtus ſollicitatur amor,
Qualia nulla puto Phæbo debere Sororem,
Belligero Venerem ſed dare ſæpe Deo:
Et gemitus illos, nervoſque juvantia verba,
Crede mihi, diſcit nulla puella domi.
De noſtra, Bouli, fidiſſima baſia ſumo,
Afficiorque magis, quo minus artis habent.
Sic animum pariter, pariter conjungimus ora,
Blanditiaſque inter plus tamen ille juvat.
Phyllida jactabas. cum Thaide Phyllida confer:
Et puto jam facta eſt ingenioſa parum.
Laïda qui laudat, Tecmeſſam malit amare:
Triſtior hæc quamvis, non rudis illa foret.
Si ſapit Atrides, quamvis civilior iſta eſt,
Andromachen Helenæ præferat ille ſuæ.
Lecta Corinna placet: ſed non ut amata placeret.
Naſoni ſatis eſt impoſuiſſe ſemel.
Lesbia amatori merito ſuſpecta Catullo eſt.
Si neſcis, ſimplex non erat illa nimis.
Frons ſine pigmentis, ſi ſit formoſa, probatur:
Et decor arte carens: & ſine labe pudor.

Digitized by Google

ZACH. LVNDII

Ad BRANDANVM DÆTRIVM.

Se prudentem maximè amare.

ELEGIA X.

INgenio non eſt felici dignus amator,
 Cui curæ non eſt ingenioſus amor.
Quod rudis & ſimplex non eſt, trahor igne Charintæ.
 Si turpe eſt mihi, me judice, turpis ero.
Sit licet inſanum: dum me ſciat aptius uti,
 Et melius geminas conciliare faces.
Ruſtica ſollicitos moderari neſcit amores,
 Quoslibet admittit, proſtituitque ſuos.
Vt mea nec fatua eſt, ſic nec laſciva Charinta eſt.
 Baſia poſcenti ſæpe, ſed apta negat.
Nulla puella ſapit, quæ quodvis cedit amanti.
 Gignit amatori tædia pinguis amor.
Cecropidæ interdum ſi Creſſa puella negaſſet,
 Non ad deſertas queſta fuiſſet aquas.
Hinc Paris Oenonen, hinc Colchida liquit Iaſon,
 Hippolitus Phædram, Phyllida Demophoon.
Vnica Penelope fuerat prudentior iſtis,
 Quæ quia cauta fuit, ſemper amata fuit.
Dum neque dura nimis, nimium nec viſa benigna eſt,
 Detinuit multos ingenioſa procos.
Hoc quoque noſtra poteſt, alias facunda puella.
 Ruſticus eſt, quem non talis ubique capit.
Seu me languor habet; ſeu triſtia nuncius adfert,
 Officio ſemper fungitur illa ſuo.
Ne noceat, ludamus ait. datur alea fallax,
 Quin jacias talos, inquit, & ipſa jacit.
Baſiolis redimit, ſi quæ blandiſſima perdit:
 Vt rurſus redimat, perdere ſæpe ſtudet.

Nunc

Digitized by Google

Nunc quoque concretæ cum ſtent Aquilonibus undæ,
Brumáque præſentes non ſinat eſſe duos.
Verba mihi ſcriptis tranſmittit amica tabellis,
Quæ, niſi carbonis pulvere tacta, latent.
Digna domus lacrymis, & Vir, cui deſipit uxor.
Hanc cum deberet ſuſtinuiſſe, ruit.
Vir ſitit inter aquas: nunc ſe ſequitúrque fugitque;
Nunc ſub Siſyphio pondere ſæpe labat.
Procurat dum Servus opes, Ancilla culinas,
Clauſas cuſtodit fida catella fores:
Sola ſui ſimplex oblita eſt muneris uxor.
Hoſtibus eveniat talis amica meis.
Præter concubitum nihil eſt quod ſperet amator:
Forſan & heic nimium ſimplicitatis habet.
Vis ſobolem ingenuam? prudentem præfer amicam.
Quicquid habet ſimplex filia, matris habet.
Socratis ut multa eſt ſoboles, ſic degener omnis,
Cur? niſi quod ſimplex & rudis uxor erat.
Curia ſolerti dirimit ſub Conſule rixas;
Sub Duce ſolerti litibus aula vacat:
Eſt, ſi non rudis eſt uxor, ſine bile maritus,
Et ſine labe torus, & ſine lite domus.

VINC. FABRICII

Ad PHILIPPVM RVBENIVM, nobilem Pictorem.

Pictura Merilla.

ELEGIA. XI.

FOrmoſos variè celebris miſcere colores,
Pingere ſed ſolas digne, Philippe, Deas;
Effigiem Dominæ facturus prome tabellam,
Non tua nobilius dextera fecit opus.

Nec

Nec tamen illa Dea eſt quamvis juraveris eſſe,
Si videas vultus, aptáque membra Deæ.
Pinge modo Dominam: Dea debuit eſſe videri,
Cum non mortali pingitur illa manu.
Hac Venus amoto formari malit Apelle.
Invideat Dominæ, quod precor, illa meæ.
Quæ mihi nunc pulchra eſt, aliis laudanda Merilla,
Hoc artis meritum credet habere tuæ.
Iamque ſede. mercedem operis tria baſia ſumes.
Baſia cuſtodit quarta Merilla mihi.
Prima coma eſt: molli fluit illa coërcita nodo,
Aurea non aperit colla, tegitve nimis.
Si tamen excuſſis, cervice patente, capillis
Formoſum quatiat lætior illa caput.
Phoſphorus apparet cælo, nitidumque ſerenum
Exſerit, Eoo pulchrior ipſe ſuo.
Non ego cæſariem poſſum contemnere Phæbi.
Altera debetur palma Merilla tibi.
Nec tamen inferior. Sed Phæbi deprecor iram.
Novimus infeſtos quid ſit habere Deos.
Et Niobe terret temere prælata Dianæ.
Cur Niobe ſaxum eſt? ambitioſa fuit.
Crinibus exactis frontem ſuppone Rubeni,
Deſuper exigua luxuriante coma.
Illud ebur raro meliùs perſtringitur auro.
Si nimium veles, non nitet illud ebur.
Iamque ſupercilium, ſed parcis ductibus, adde:
Ex flavo leviter nigricat inde pilus.
Sed neque diviſus nimium diſtinguitur arcus,
Sed neque confuſas jungit uterque comas.
Glauca ſubeſt acies geminati luminis illis.
Iurabis totidem ſtare, Philippe, faces.
His aliquid pæti miſcet pudibunda libido.
Hoc Veneris, pulchræ Palladis illud habet.
Ah nimis artifices, pictor, ſepone, colores,
Ipſa vibrat flammas linea ducta ſuas.
Aut preme dejectos obliquè cautus ocellos:
Qui venit hinc ignis, parcius ille nocet.

Adde

Digitized by Google

Adde genas oculis hilari candore rubentes:
Heic amor excubias, heic agit ipſa Venus.
Sed modice tumidas formoſo marmore naſus
Deprimit, & limes inter utramque jacet.
Ora rubent, teneriſque laceſſunt oſcula labris.
Ah animæ ſedes eſt locus iſte meæ.
Spem mihi regnandi fortuna, Philippe, negavit:
Nec mihi ſunt tituli, nec cumulantur opes.
Quod numerem nihil eſt: numerantur baſia ſola;
Et ſedeo lætas arbiter inter opes.
Molle tibi mentum ſupereſt, & eburnea cervix.
Cætera ſunt oculis non adeunda tuis.
Sed tumor. & leviter diducta lacinia pectus
Prodat, & hanc digitis detque negetque viam.
Vt geminas ſub flore roſas complectitur uno,
Et premit, & profert ſemiadaperta calyx.
Sed riſum mollem, vocemq;, ſaleſque venuſtos,
Et Dominæ mores, ingeniumque meæ,
Corpore de toto Charites hinc inde fluentes,
Exprimit ah tantum linea nulla decus.

ZACH. LVNDII.

Ad CHARINTAM.

De laudibus ejus.

ELEGIA XII.

QVod bene diſſuaſit pudibunda modeſtia coram,
Laudare abſentem cogit iniquus Amor.
Non ſuſpenſa ſemel mihi vox præſente puella,
Hæſit & ad primos lingua retenta metus.
Aut ea cauſſa fuit tua vox, qua noſtra repreſſa eſt.
Quid mirum? magnum tangeret illa Iovem.
Aut quia tunc coram toties colluſimus ambo,
Iunxerat & geminos ſæpius una domus.

Quotidiana jacent. amat intervalla Cupido.
  Abſentes animos acrius urit amor.
Et mihi ſemoto majores ventilat æſtus.
  Heu mihi! cur flamma non propiore petor?
Ille mihi gravior, mihi quo longinqùior ignis
  Evenit, & Vatem non ſinit eſſe ſuum.
Adſtitit, & cupidos ſimulans lenire furores,
  Ecce, ait, ex alis hæc tibi penna meis.
Scribe quod abſenti poterit placuiſſe Charintæ.
  Si coram puduit, nunc ceciniſſe juvet.
Non ego mendaces auſim defendere formas,
  Aut ſi quæ externo tincta colore rubet.
Altera præfertur Véneri, laſcivior illa eſt:
  Altera Iunoni, tertia Pallas erit.
Vidi ego qui Dominam meditato carmine Soli
  Contulit, & quicquid debuit eſſe, fuit.
Cynthia ſic dicta eſt, tanquam ingenioſe Properti,
  Cynthia non Domina ſit magis alba tua.
Roſſáque nomen habet, tanquam ſit filia roris:
  Blanda Venus, nunc es vilior orta mari.
Non ego, non tantum formoſo tangor ab ore;
  Sunt aliæ cauſſæ cur ego ſemper amem.
Nec mea ſit, quæ vel ſolùm dotata ſuperbit;
  Aut claro tantùm ſanguine nata tumet.
Non celebres cenſus, celebreſve arceſſimus ortus:
  Lundius eſt cauſſæ nobilioris amans.
Vita, fatebor enim, quamvis nec blanda venuſtas,
  Nec tibi, ſi liceat dicere, forma deeſt:
Te tamen hæc melius decorat reverentia morum,
  Major in ingenua gratia mente nitet.
Forma bonum fragile eſt, ſed juncta modeſtia firmat:
  Forma quidem, ſed me forma modeſta capit.
Sat quoque dotis habes: ſed me dos altera major
  Iam tetigit Pietas. hac mihi dote places.
Omnes exuperat cenſus pia vita puellæ,
  Et proba mens dotes, Hippodamia, tuas.
Nec tua tam multæ commendant atria ceræ,
  Quin laudis mereat plus tener iſte pudor.

Tyn-

Digitized by Google

Tyndaris, illa Iovis ſoboles & regia conjux,
Rapta ſuo tantos crimine fædat avos.
Hæc tua laus ſumma eſt, quod ſit ſine labe Cupido,
Quod maculet noſtras nulla libido faces.
Si pateris, pergam laudes memorare ſecundas:
At ſi non pateris, me tamen urget amor.
Si piget, ignoſcas, mendacia deprecor, auſis.
Non mea, ſed pueri culpa jubentis erit.
Laudandos aliis flavos tranſcribo capillos,
Quos capiti vellet Phœbus ineſſe ſuo.
Ingenium plus eſt, & quæ coma munera velat.
Hoc quoque cum pulchra vellet Apollo coma.
Emicat ex oculis pluſquam prudentia ſimplex:
Si neſcis, tantas prodit ocellus opes.
Lumina quod non ſint ſtibio, non tincta favilla,
Indicium puræ nobile mentis habent.
Cæſius ille color, fertur color eſſe Minervæ:
Eſſe aliis odio: Numinis eſſe tamen.
Afficit os alios: ſed me magis oſcula tangunt.
Quique verecundo ſolvitur ore ſonus:
Quo mihi blanditias dicis, Dominumque ſalutas:
Heu procul à Domina cur vocor ille mea!
Quid variis memorem circumdata brachia gemmis;
Quid memorem dignas, te quoque Iuno, manus?
Brachia complexus circum mea colla tenaces,
Commendat ſimilem candida dextra fidem.
Collaudent alii tinctas bis murice veſtes:
Sola movent ſenſus interiora meos.
Pectora proſpicimus in quæ mea vota recondam,
Et molles, in quos opto redire, ſinus.
In te aliquid majus pro forma & dote tenemus:
Dos fuerit Pietas, Lux mea, Forma pudor.

VIN.

Digitized by Google

VINC. FABRICII

Ad IOANNEM FRIDERICVM GRONOVIVM.

Virgines Viduis præferendas eſſe.

ELEGIA XIII.

SI Venerem Muſis conjungis, docte Gronovi,
Ingenio dederis altera vela tuo.
Decerpſit primam Phœbus Peneide Laurum:
Carminaque autori conciliavit Amor.
Si placet exemplum, lepidos admitte calores,
Mixtáque blanditiis baſia diſce pati.
Hæc tamen intactæ qui ſumit ab ore puellæ,
Quod ſatis eſt, didicit, ingenióque valet.
Magnum virginitas precium complexibus addit,
Et rudis, & nunquam ſollicitatus amor.
Cum pudor invitat, geſtitque modeſtia vinci;
Atque aliquid grata non ſine lite datur.
In vidua nihil eſt quod ames, paſſaq; maritum,
Omnia præripuit gaudia primus Hymen.
Nec tam fida tibi, nec tam pudibunda, Gronovi,
Oſcula, nec tanta ſimplicitate dabit.
Interdum repetet, nimiumque audebit in illis.
Delitias timide quæ facit, illa facit.
Sive animo tædas agitas, innupta petenda eſt,
Nec tuus ad viduas abjiciendus amor.
Mane novo, tenero madidas de rore viator
Carpit, & arentes præterit ungue roſas.
Vtilius puris, Frederice, natabis in undis,
Vitreus illimes cum vehit amnis aquas.
Pocula delectant animos ſplendente Lyæo,
Diffunditque recens dulcius urna merum.
Nemo cibum poſcit, quem prælibaverat alter.
Pomáque de nitida ſumere lance juvat.

Ille

Digitized by Google

Ille torus veteris præfert veſtigia flammæ.
Et jam non primo lectus amore calet.
Oſcula ſi dederit: prius his meliora dabantur.
Molle latus jungit: junxerat ante latus.
Blanditias loquitur, non te tamen, illa magiſtro,
Vtitur ingenio, quo prius uſa fuit.
Colla manuſque illas quidam poſſederat ante.
Iamque aliqua cervix livida forte nota eſt.
Ante manum didicere pati, tangique papillæ.
Quodq; agis, ah alius dulce peregit opus.
Sæpe etiam proles veteres teſtatur amores:
Et dolor ante oculos itque reditque tuos:
Primaque formoſi florem Lucina peremit
Corporis, & languet, qui fuit ante, vigor.
Qui ſapit, intonſis ſibi paſcua quærit in agris.
Qui ſapit, intactis fontibus ora lavat.
Gaudia de tenera rapies ſincera puella.
Quod metuit, grato cogit amare metu.
Ad blandæ nomen Veneris tremuiſſe modeſte
Cernitur, & totis erubuiſſe genis.
Mox ubi ſuccubuit precibus, vincique neceſſe eſt,
Ah dulces lacrymas mittit in ora pudor.
Sentit, & ore ſuo precioſum haurire liquorem
Gaudet, & hoc fidei pignus amator habet.
Mens abit, & moritur, quoties audacia ſenſim
Creſcit, & amplexu prævenit ipſa ſuo.
Non ea moroſa eſt, non imperioſa, nec audax.
Obſequium ſatis eſt exhibuiſſe viro.
Mox ſobolem caſta tollens de matre maritus,
Heic etiam vultus invenit ipſe ſuos.

Digitized by Google

ZACH. LVNDII

Ad CORNELIVM GROTIVM.

Viduas Virginibus præferendas eſſe.

ELEGIA XIV.

CVm per hyberboreas, Groti doctiſſime, terras,
Frigida perpetuo quà riget aura gelu;
Perq; urbes ſteriles, perque aſpera regna vagaris,
Regna ſed haud duris hoſpita Virginibus.
Quæ tibi mens, Groti, eſt, teneris ubicunque puellis
Immiſtas quoties conſpicis ire nurus?
Forte tua heic aliquis deflexit lumina vultus,
Iamque animo inſedit cura moleſta tuo;
Quam potius deames, cui verba precantia dicas,
Intret ut in thalamos ſponſa petita tuos.
Gratia cuique ſua eſt: longe tamen aptius urit
Fæmina, præterito quæ viduata viro eſt.
Blandius inſerpit, molleſque inſpirat amores,
Quæ nunc non primum eſt erudienda Venus.
Gnara viri mulier, quoties cupis, oſcula figet
Nec laſciva nimis, nec pudibunda nimis.
Illa modum didicit, monitiſq; inſtructa Diones
Officium peragit, nec ſine lege, ſuum.
Virginis aut rudis eſt, nimis aut furioſa libido,
Saltem quod poſcit, obſtupefacta timet.
Qualis in ignotis trepidat, cum fluctuat undis
Navita, & inſolitas anxius horret aquas.
Qualis inexpertus metuit certamina miles,
Primáque torpenti corripit arma manu.
Hæc quoque militia eſt: niſi quod tibi femina caſtris
Sueta Cupidineis, mitior hoſtis erit.
Et minus adverſo rades hæc littora curſu:
Et potes aſſueta tutius ire via.

Virgini-

Virginitas rudis eſt. tulit hanc inſcitia laudem.
Qui ſapit, expertos præferet ille toros.
Ex tali carpes maturos arbore fructus.
Iſtis non fallit Dîs operata manus.
Si ſobolem nutrit, flammæ monumenta prioris,
Hoc quoque præferri cur mereatur, habet.
Pignora teſtantur, quæ te jam nata coronant,
Non infecundum, quem petis, eſſe torum.
Nec tamen informis, nec quæ ſit inutilis annis,
Sed vidua in medio nupta vigore placet.
Quamvis ſi fuerit grandævior illa, quid obſtat,
Dummodo non turpis, nec videatur anus.
Quanto ſera magis, tanto eſt ſapientior ætas:
Et ſenibus rerum grandior uſus adeſt.
Qui volet, immites carpat de vite racemos;
Qui volet, ad prælum fervida muſta bibat.
At mihi perpetuis ævo certantia faſtis,
Natáque ſub priſco Conſule vina placent.
Conſcius admittit, Groti, cum lectus amantes,
Nil tua quod longum gaudia tardet, erit.
Non timet: aut certe moderatur docta timorem.
Ipſe pudor blanda cum ratione pudet.
Nec lacrymas opus eſt mæſto detergere vultu:
Hoc alia eſt pro te functa labore manus.
Lenis amat Vidua, & patitur ſe lenis amari.
Virginitas cauſſas mille doloris habet.
Hoc docet occluſo roſa quæ ſub cortice tecta eſt;
Aut quæ jam patulis fulget amicta comis.
Hanc ſecura manus carpit: rubus aſper in illa eſt:
Suaviter hæc nares afficit: illa riget.
Elige quam malis, Groti: mihi poma probantur,
Quæ minimo conſtant, plus tamen ora juvant.

VINC.

VINC. FABRICII
Ad DANIELEM HEINSIVM.

Amatorem abſentem minus proficere.

ELEGIA XV.

SI tibi Fabricii nondum memiñiſſe moleſtum eſt,
Fabricii verſus languidioris habe.
Deficimus, quodque ante fuit, Vir magne, vigoris
Interiit; quicquam ſi tamen ante fuit.
Seu vitium cæli, vicináque frigora ſenſi,
Et nocet ingenio Mænalis Vrſa meo:
Seu procul à Batavis quod ago, noſtráque Merilla,
Exilium ſequitur nulla Camæna meum.
Naſoni Pontus nocuit. componere parva
Si pateris, ſimilis pene querela mea eſt.
Denique, quod magis eſt, Heinſi, te teſte caremus.
Deſtituit ventus carbaſa noſtra tuus.
Mollius umbroſæ tiliæ, formoſaque Leida
Carmen, & in tepido dictat amica ſinu.
Si bene commemini, tentatum carmen ibidem eſt;
Si bene commemini, non nihil egit amor.
Heinſius ignovit conanti. poſtmodo laudes
Addidit, & Muſas cæpit amare meas.
Ille rudimentum trepidi produxit amantis,
Movit & ardoris ſemina prima mei.
Mox aliquam ſenſi paullatim creſcere famam,
Scilicet & cauſſam nominis inde tuli.
Annuit audenti, primiſque Hugenius annis.
Hæc quoque poſt curas Principis una fuit.
Adſenſere alii. dum ſe juvenilior ardor
Explicat, & creſcit impetus ille mihi.
Qualis equus domini plauſum non degener audit,
Et fremit, arrectis luxuriátque jubis.
Qualis & æquoreas curſu prætervolat undas,
Vtilis admiſſam ſi ferat aura ratem,

Qui

Qui ſolet ah noſtra non eſt in puppe magiſter
Heinſius; incerto fluctuat illa mari.
Et nemus Aonidum, mediiſque in mœnibus umbra,
Illaque abeſt Batavæ proxima ſilva Scholæ.
Illic Heinſiadæ doctos pulſare penates,
Et memini ſacro ſæpius ore frui.
Interdum dulces epulas junxiſſe recordor,
Molliaque argutis addere vina jocis.
Heic etiam Muſas colui ſub paupere tecto,
Haud procul à tectis, magne poeta, tuis.
His quoque ſub tiliis centum venabar amores:
Eheu cur miſero nunc mihi nullus adeſt?
Nec quæ baſiolis naſcentem ſuſcitet ignem
Vt ſolet, à collo pendet amica meo.
Omnibus excidimus: niſi quod deſidero tantum,
Et, donec liceat corpore, mente fruor.

ZACH. LVNDII

Ad AVGVSTVM BVCHNERVM,

Amatorem abſentem maxime proficere.

ELEGIA XVI.

SI nondum noſtræ ſubeunt faſtidia Muſæ,
Forſan & heic aliquid, quod juvet, eſſe poteſt.
Proficimus, quæque ante ſitu mens pigra jacebat,
Nunc viget, inque uſu ſe probat ipſa ſuo,
Vt glacialis hyems omnes conſtrinxerit amnes,
Caſtalias nondum frigore clauſit aquas.
Nec licet illecebræ deſint abſentis amicæ,
Irritus excluſo ceſſat amore labor.
Hoc, Auguſte, parum eſt. plus te monitore calemus.
Plena tument Zephyro lintea noſtra tuo.
Dicebas, bene ſi memini, quin pergito Lundi:
Vna hæc immenſum vox mihi calcar erat.

Digitized by Google

Cauſſa tua eſt, quod tot recitentur carmina nobis :
  Carmina ſed rurſus quod mala, cauſſa mea eſt.
Ingenium reliquis majus præſente puella eſt:
  Hactenus ingenium non reor eſſe mihi.
In gremio Dominę quodvis, quod agamus, habemus,
  Nec Phæbi poſſim, nec meminiſſe mei.
Nunc cum dividimur, mihi crebra occurrit imago,
  Et cupit in numeros protinus ire ſuos.
Sive roſam video, tetigiſſe labella recordor,
  Et quaſi tunc renovet baſia, verſus adeſt.
Nexilibus ſimulac hederis circumdata cerno
  Robora, præteritos mente revolvo dies.
Et mox: nexilibus ſic junximus oſcula linguis;
  Sic in complexus ſerpſit amica meos.
Aſpice |(nam cauſſas ſibi quas nō fingit amator?)
  Vt ſuperimpoſita ſub nive terra riget.
Excidit hoc etiam creber mihi nomine verſus,
  Quam gelidum in niveo corpore pectus alat.
Cum medio Mauros pulcher Sol urit Olympo,
  Vrit nos, inquam, pulchra Charinta magis.
Materieſque mihi nocturnis ſurgit ab aſtris :
  Lumina ſunt Dominæ non minus aſtra meæ.
Deniq; ne deſint, mihi qui ſcribantur amores,
  Illa quod hinc procul eſt, ſcribimus eſſe procul.
Adde quod invidiam patimur. ſed & hinc quoque (Vates
  Majores animos, ingeniumque capit.
Qualis aper frendens graviores ſurgit in iras,
  Sanguinis infectam cum videt imbre cutem.
Qualis & interius latitantes evomit ignes
  Excuſſus ferro verberibuſque ſilex.
Omnibus exſtimulor. te uno tamen aptius utor,
  Quique legenda petis, poſtmodo lecta probas.

VIN-

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII SECESSVS NORTVICENSIS,

Sive

ELEGIARVM LIBER III.

Digitized by Google

Nobiliſſimo, Ampliſſimoque
Viro

CONSTANTINO HVGENIO,

Equiti,

Zuylichemi Domino, Illuſtriſſimo Principi Auraſio à Conſiliis & Secretis,

S. D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

Libellum iſtum, Vir Nobiliſſime, cum in lucem editurus eſſem, Tu inter omnes occurriſti, cujus nomen ornaret hoc veſtibulum, & ad cætera cognoſcenda homines amænos invitaret. Quando enim primo in Bataviam veſtram ſtudiorum cauſſa veni, continuo diligere ac venerari ingenium, virtuteſque Tuas cæpi. Qui cum adoleſcens generoſam illam indolem per diverſas artium, diſciplinarumque rationes direxiſſes, induſtriæ ſubſidia, atque inſtrumenta virtutis ita in ornanda, augendaque Republica conſumpſiſti hactenus; ut efficeres tamen, ne Te in cæteris magis, quam in remiſſionibus Tuis miraremur. Quas ut primum vidi, inceſſit me calidum fortaſſis, non tamen illiberale deſiderium, propius, & coram cognoſcendi

dotes

dotes illas, quas in ignoto adorabam. Sed, dum hærerem inter cupiditatem, pudoremque: dum molliora ſemper tempora aucuparer, aut exſpectarem; hactenus quidem videbar & tenuitatis meæ, & Tuæ dignitatis rationem habuiſſe: ut tamen tanti temporis jactura mihi verecundia illa ſteterit, eam ut ante annos aliquot majori vi expugnarem, non intempeſtivum tunc quidem arbitrabar libelli hujus dedicatione invocare Genium Tuum: quo, ſi Poetica accuſaretur, non alium invenire poteram reum locupletiorem. Quod cum alacrius facerem, viri illuſtris DANIELIS HEINSII *conſenſu confirmatus: prolixa tamen humanitate Tua, quam poſtea ſenſi, aliquid conſecutus ſum, quòd ultra votum eſſet. Idque non deſino inter æmulos jactare, qui tantum maximorum hominum in me favorem ægre intuentur. Cæterum Nortvicenſes iſtas elegias, exactius reſcriptas rurſus ad Te mitto, ut intelligas etiam abſenti mihi priſtini judicii mei conſtare rationem. In eo tamen amœnitatem, ſi qua eſt, ne excuſare quidem Tibi poſſum. Nec enim natura adeo triſti & recondita es, ut ferre liberalem animi remiſſionem (quæ ex ſtudiis noſtris honeſtiſſime petitur) in homine nihil minus quam moroſo, aut anxio nõ poſſis. In quo quoniam ipſe fuiſti; patere, quæſo, me in iiſdem itineribus quamvis non æquis paſſibus, tamen utcunque incedere. Cæteros, quos acerbi ſui mores, geniique immanitas tantum à ſe impetrare non ſinunt, ut venuſtatem ullam amare poſſint, qua ſemper ſoles,* CONSTANTIA, *generoſoque contemptu nobiſcum ulciſcere.*

Ad CONSTANTINVM HVGENIVM.

POtentis aulæ, Principiſque non victi,
Vatumque cura, corque, nec minor vates,
Novem Dearum reſtitutor HVGENI,
Seu nunc viros incedis inter armatos,
Dum veſtra pubes fortiter movet bellum,
Genæque ſævo cominus nitent auro,
Et triſte fulget lux cruenta ſcutorum;
Seu teſtis ingens Belgicas ſtupes dextras,
Ducemque, adhærens, fulmen ardui belli,
Caſuſque tantos per ſecunda raptantem,
Dum prima motans prælia, & ſuum ferrum,
Proſternit urbes, occupatque tranſcurrens;
Et nunc ſub iſto ſtare non times ictu,
Quo Principis, quo fata ſunt Batavorum:
Si quid ſoluti temporis tibi reſtat,
Vacuumque curis, & tumultibus belli,
Dum campus ardet, dum tubæ cient Martem,
Feroxque totis claſsicum fremit caſtris,
Flectitque pavidos, fortibus metum demit,
Venuſtiores excites Deas mecum.
Et quæ juventa raptus impetu primæ
Amœna, ſed pudica, ſed verecunda,
Heic in receſſu littoris mei luſi,
Ibi inter arma perlegas, opus pacis.

VIN-

VINCENTII FABRICII SECESSVS NORTVICENSIS Sive ELEGIARVM LIBER TERTIVS.

Elegia I.

De laribus Douſicis.

DVm tituli famæ creſcunt, vir maxime, tantæ,
Et cauſſam ſeræ poſteritatis agis,
Totaque Lugdunum facundo pendet ab ore,
Quoſque animi motus non habet, inde capit:
Me mea Nortvicum ſtudio componit inerti,
Quodque ſonat fractis undique littus aquis.
Heic ego vel totos in littore tranſigo ſoles,
Et mare proſpectu metior inde meo:
Vel procul in tumulis, poſitiſq; vagamur arenis:
Vel prope per campos, blandaque rura feror.
Sæpe hæret lateri tandem exorata Merilla,
Sæpe præit, lepidæ, duxque comeſque viæ.
Illa diu triſtis: ſed poſt lacrimaſque, preceſque,
Cum morerer, vitam reddidit illa mihi.
Nunc quoq; ſi fas eſt, tandem concedit amari.
Nunc quoque, ſi fas eſt credere, forſan amat.
Sic mihi tempus abit: virides ſic curritis anni.
Dî faciant, vitæ ſit modus iſte meæ.
Heic quoque famoſos miratus adoro penates,
Et cineres Douſæ, reliquiaſque tui.

Quæque viri vultum, totamque ex ordine prolem
Ædibus in mediis picta tabella refert.
Talis Douſa fuit, cum quantum poſſet in armis
Senſit, & ad Leidæ mœnia ſedit Iber.
Talis erat, quoties ſolitos cantaret amores
Sive, Secunde, tuos carmine, ſive ſuos.
Ah quoties ſpretoque foro, curiſque remiſſis,
Nortvicum lepidas tranſtulit ille Deas?
Cantantem quoties virides per prata Napææ
Formoſa obſtupuit pone ſecuta cohors?
Ipſe pater Triton, Batavæ Nereïdes ipſæ
Attonitæ fluctus deſeruere ſuos.
Iam Picus Galateam, & Tethyn Faunus amabat,
Iſte ſuis pulcher cornibus, ille coma.
Ambo capripedes, auriti largiter ambo,
Egregii lepores ambo, feraſque ſequi.
Ah cur ſera mihi neverunt ſtamina Parcæ?
Cur ego non illo tempore natus eram?
Cum teneram caneret manſuris verſibus Idam,
Evinctus myrto tempora, Douſa tuus.
Cumque tuos legerent blandæ Nortvicides ignes,
Et notus Roſſæ non minus eſſet amor:
Abductum quoties Muſis Leidenſibus ille
Iuſſit per tumulos, & ſua rura ſequi.
Forſitan & noſtras licuiſſet jungere curas:
Forſitan & quodam notus amore forem.
Inter & ardores tantos, Roſſam inter & Idam,
Audiſſet laudes forte Merilla ſuas.
Nunc tua ſublimes pertentant pectora curæ:
Nunc propior cælo vadis, & aſtra petis.
Blandaque complexu feſſam Rutgerſia mentem,
Nataque ſolatur; Heinſiadeſque minor.
De Douſa nomen ſupereſt, vacuique penates,
Et quæ jam nullo carmine tecta ſonant.
Quæque errat latis mærens in collibus Echo,
Et queritur vatem ſola relicta ſuum.

ELEGIA II.

Ad ZACHARIAM LVNDIVM.

Novi amoris initia.

LVndi quem faciles Muſæ, quem blanda Charinta
  Iamdudum prohibent poſt tua fata mori;
Dum tu Mænalios demulces carmine Cimbros,
  Et ſtupet ad citharam pontus uterque tuam:
Heic ego, qua Batavas tundit Neptunus arenas,
  Et fremit attritis undique littoribus,
Heic ego crudelis Muſarum transfuga plector,
  Et penitus toto pectore Phœbus abit.
Scilicet Hyppocrates ſucceſſerat; altera cura.
  Poſt tot læta manus injicit ille mihi.
Nunc Venus è manibus curas excuſſit utraſque,
  Et mihi jam nulla Phœbus in arte placet.
Sive manus medicas pallentibus applicat agris,
  Sive mihi lepidi carminis autor adeſt.
Hei mihi cur toties huc me mea vota tulerunt?
  Cur nimium velox in mea damna fui?
At potui Batavas non ignorare puellas,
  Et Leidam pueri non nova caſtra Dei:
Regnaque Muſarum: diviſaque regna Diones.
  Hæc quoque cum Muſis æmula jura dedit.
Scilicet ex illo didicit petulantior eſſe,
  Et nimium vires cæpit amare ſuas,
Ex quo ſuccubuit virtus non infima Douſæ,
  Et nova materies carminis Ida fuit.
Inde alii, ſed præcipuè meus Heinſius arſit:
  Ille Deæ Veneris maxima fama fuit.
Iamque oculos Roſſæ non laudat ſolus, amatve:
  Rivalis totus, ſi licet, orbis erit.
Illius exemplum ſi fas prætendere culpæ eſt,
  Sufficiens culpæ debuit eſſe meæ.
Scilicet exemplis tuto peccatis amantes,
  Delicti veniam ſic ſibi quiſque dabit.

Digitized by Google

Erubuit peccare Orbis: cum Iupiter arſit,
  Dedecus, immunem criminis eſſe, fuit.
Ex illo faciles nimium placuere puellæ.
  Blandius ex illo fæmina nomen habet.
At mihi quid prodeſt, iſta quod tutus in urbe
  Hactenus, & nullo tactus amore fui?
Quid Lugdunenſes ſpectaſſe impune puellas?
  Si venit immenſo fenore tardus amor.
Nortvicum mihi cauſſa mali. Sic fata tulere.
  Heic ego nunc feſſas do, Venus alma, manus.
Alma Venus faveas, veniam nova præda, nec ultra
  Suſtineo morbum diſſimulare meum.
At memini non illa tibi promiſſa dediſſe,
  Phylli, nimis puero dulcis amica mihi.
Vix tria (me miſerum) fuerant mihi luſtra peracta,
  Cum me ſervitii ſuave premebat onus.
Innocuos primus mihi cum calor imbuit annos,
  Et volui argutus ſcire, quid eſſet amor.
Illa quidem facilis caſtas admittere flammas
  Elicuit verſus, ingeniumque dedit.
Invidiæ fuimus. nimium feliciter arſi.
  Lætitia hei miſero quam brevis illa fuit?
Vix ſemel ingentem Sol circumvolvitur annum,
  Et moritur Phyllis, & mea vota cadunt.
Atque utinam præſens tantum, dilecta, fuiſſem:
  Texiſſent digiti lumina feſſa mei.
Oſculaq; in gelidis poſuiſſem mæſta labellis,
  Traxiſſemque animam triſtis ab ore tuo.
Quod licuit, tumulum ſtatui de ceſpite inanem,
  Et miſer in cineres ultima dona dedi.
Lundius inferias mecum tulit: omnia fecit:
  Deque ſuis lacrimis humida ſerta dedit.
Hæc fuit illa dies, qua me ſine amore futurum
  Iuravi, &, Lundi, tu quoque teſtis eras.
Ter Phœbus (memini) ſua ſigna recenſuit, ex quo
  Occubuit Phyllis: & ſine amore fui.
Nunc demum titubo. dilecti ignoſcite manes.
  Vlterius fido non licet eſſe mihi.

Præ

Digitized by Google

Præ reliquis quædam potuit formoſa videri.
Quam vellem heic oculos non habuiſſe meos!
Hei mihi, vix primos animus bene ſenſit amores,
Vt calui, ut ſubito totus in igne fui.
Sic ratis, admiſſos cui commodat Æolus Auſtros,
Protenus ex oculis fertur, & alta tenet.
Sic modo ſiccatas vidi miratus arenas
Obvolvi ſubita, cum redit æſtus, aqua.
Tu, Lundi, placidos cui nutrit amica calores,
Cui faciles alas præbet amicus Amor;
Si qua tibi ſupereſt noſtri non immemor hora,
Ad lacrimas noſtras, quod potes, adde tuas.

ELEGIA III.

Ad IANVM MARIVM.

Quo pacto Merillam amare cœperit.

ET male diſſimulo (quis enim bene celat amorem?)
Indiciiſque ſuis jam mea flamma patet:
Et tu vitanti conjector callidus inſtas,
Et quod amas, furor eſt notior ille tibi.
Eloquar: eripuit pariter cum pectore ſenſus
Vnica, ſed magno digna puella Iove.
Da veniam faſſo: decepit idoneus autor:
Non potui leto nobiliore mori.
Forte fere melior fuerat pars acta diei:
(Quid prohibet faſſum dicere cuncta ſemel?)
Cum mihi littoreos mens inconſulta receſſus,
Et toties tritos ſuaſit adire locos.
Illa dies miſeri fatum mihi duxit amoris.
Naufragium mentis lux fuit illa meæ.
Heic oculos primo nimium formoſa Merilla
Attonuit noſtros, eripuitque ſuis.
Nec me defecit crudo pugnare furori,
Et premere ardores, & dare verba mihi,
Et nolle injectis animum ſubmittere flammis,
Quam gravis ah miſero lis fuit illa mihi?

Quod pudet, & doleo: valuit ſententia pejor.
  Iudice me victus, juſſus amare fui.
At culpæ invidiam tollit, quæ fecit amorem.
  Contigit ingenio digna ruina meo.
Illa quidem bibulas pedibus calcabat arenas,
  Quas Batavum primis alluit æquor aquis.
Pulchra verecundis viſa eſt illudere talis,
  Et leviter ſummam radere veſtis humum.
Deque comis pars compta fuit, pars libera fluxit,
  Qualis erat Veneris, cùm ſtetit orta mari:
Quin & neglectum quiddam de pectore vidi.
  Parte ſatis fuerat qualibet inde capi.
Ac primo (teſtor flavos, mea retia, crines,
  Et fures oculos, qui rapuere meos,
Neptunumque patrem, virides Nereïdas omnes)
  Nympharum dixi ſanguinis eſſe Deum.
Qualis inexcultis hyacinthus provenit hortis,
  Quem tepidi ſoles, auraque verna fovet:
Qualia delectant ſpatioſo lilia prato:
  Seu quicunque placet qualis ubique color:
Talis in extento mihi littore viſa Merilla eſt.
  Hei, quantum nocuit viſa puella ſemel!
Nunc ego perpetuos circumfero corde calores:
  Nunc mea perpetuus viſcera carpit amor.
Sed trepido infelix, & abeſt fiducia votis:
  Speſque metum perimit: & cadit illa metu.
Quod poſſum totis ſequor hanc, & ſpecto diebus.
  Hactenus audaci dum licet eſſe mihi.
Nec tamen hoc, niſi forte procul, ne ſentiat illa:
  Et mea confundat plurimus ora rubor.
Illa Deæ ſimilis graditur formoſa per agros,
  Aut tenero Idalias demetit ungue roſas.
Hæc ego dum ſector late veſtigia, non quid
  Ire juvet video: ſed tamen ire juvat.
Qualis in Arcadia ſectatur Chlorida Faunus,
  Oſculaque imponit, quam Dea preſſit, humo.
Aut procul excelſa deſpectat ab arbore nympham,
  Nec tamen infelix inde levatur amor.

Digitized by Google

Quin miſer interdum fa io convitia nocti.
Infelix meritum ſubtrahit illa mihi:
Gaudiaque inviſis abſcondit noſtra tenebris.
Hæc quoque poſt tenebras altera damna fero.
At tibi, qui nitido præcingis fulgure frontem,
Officii, Titan, debitor hujus ero.
Tu nobis, quoties hunc orbem lumine luſtras,
Triſtitiæ blandum, Phœbe, reducis opus.
Hoc miſero supereſt. Quandoque in littore noſtro
(Littoris ad nomen hei mihi ſanguis abit!)
Aut teres æquatam radius conſcribit arenam,
Et leviter ſignat: PULCHRA MERILLA MEA EST.
Aut rapidis trado mea vota involvere ventis,
Materiam vaſto, ludibriumque mari.
Hic mihi tranſigitur vitæ modus; hoc fuit illud,
Nortvicum miſero cur habitanda foret.
Iunge, Mari, dextram, Thymbræi gloria Phœbi,
Sed pariter jactat quem Cytherea ſuum,
Proficiam tiro ſub te, dilecte, magiſtro.
Sufficit auſpiciis caſtra ſubire tuis.
Quæque, doce, poſſint mecum ſociare Merillam,
Quaque ſit à nobis arte regendus Amor.
Sic faveat puer ille precor: ſic præbeat idem,
Qui mihi nunc ſævit, mitia tela tibi.

ELEGIA IV.

Amorem tempeſtati comparat.

QValis quem rapidus deprendit in æquore nimbus,
Quem crudelis hiems cingit, & ira maris;
Ambigit, & partes animum convertit in omnes,
Et mutat dubias ſpeque metuque vices.
Iamque placet tortum pelago ſubducere linum,
Et rate, quo ventus, quo ferat unda, ſequi.
Mox parat invitis, fruſtraque negantibus undis
Obverſa portum puppe tenere ſuum.

Talis ego, dubio quem verſat turbine Cypris.
Cui non una minax ſurgit amoris hiems.
Huc feror, atq; illuc: nec me permittere ventis,
Nec placet inſano pandere vela freto.
Sola ratem ſiſtet tuta ſtatione Merilla.
Commodius nullo ſtat mea prora ſinu.
Hac mihi contingat tandem tellure potiri.
Heic ego deſpiciam, quicquid ubiq; mali eſt.
Sin mihi tempeſtas ſubmerſerit ante carinam;
Naufragii tabulas colligat illa mei.

ELEGIA V.

Ad PETRVM SCRIVERIVM.

Nullas ſibi amandi inducias dari.

DVm nova, Scriveri, meditantur federa Belgæ;
Splendida ſollicitos dum tenet Haga patres:
Et placet unanimas in pacem mittere gentes;
Et placet ad fidos ponere tela lares:
Heic mihi Nortvici miſero nova bella geruntur:
Heic patior clades: nec datur ulla quies.
Non tamen iratus gladios diſtringit Iberus.
Nec pedites urgent: nec gravis inſtat eques.
Non ego, quas patitur, patior, Germania, ſtrages.
Ah alia miſeri conditione ſumus!
Prelia miſcet Amor, crudelem novimus hoſtem.
Quam facile eſt homini bella movere Deos?
Ille meæ reſidens dominæ inſidiator ocellis
In miſerum mittit ſpicula mille caput.
Inde mihi veniunt mea vulnera; non tamen inde
Vulnera, quod debent, noſtra, levamen habent.
Nec mortem ſperare licet: nec vivere poſſum.
Hac videor dominæ lege placere meæ.
Tu tamen ingentes hortaris dicere Douſas,
Et cineres tanti concelebrare viri.
Nomina, Scriveri, latum tangentia cælum
Eſſe queunt magni non niſi vatis opus:

Non,

Non, niſi cui totas conceſſit Apollo ſorores.
Indolis agnoſco flumina parva meæ.
Dum tua, dum GrotI præclara volumina vivent:
Dum pulchra Heinſiadæ Muſa ſuperſtes erit.
Douſiacæ laudes toto noſcentur ab orbe.
Hinc decuit tanti nominis ire decus.
At nobis Paphiæ meditari opprobria Divæ,
Et Dominæ liceat de feritate queri.
Da veniam Scriveri. & te quoque torſerat Anna:
Illa licet votis non gravis Anna tuis.
Hei mihi, quid ſuperos tandem mihi fecit iniquos?
Cur agitur vento non mea cymba tuo?
Te cito felicem, ventiſque ferentibus uſum
In portus placido flamine vexit amor.
Heinſius argutæ cum ferret baſia Roſſæ,
Vix ſemel occluſas fleverat ante fores.
De domina nihil eſt, niſi tantum injuria, mecum:
Et querulæ voces, & male gratus amor.
Verbaq; cum lacrimis ſurdo jactata profundo,
Qua Batavam Nereus cærulus ambit humum.
Heic queror: heic toti dico convitia cælo:
Heic ego me nullos clamo putare Deos.
Et jam cærulei noſtros Delphines amores,
Neptunuſque pater, Nereideſque ſciunt.
Et fulicæ, & circa volitantes æquora lari,
Hei mea littoreæ fata queruntur aves.
Heic ego vicinis inſcribam denique ſaxis,
Quod procul ex alta navita puppe legat:
Dumque legit, duris dicat mala multa puellis:
AVTORES DOMINÆ SAXA FRETVMQVE MEÆ.

ELEGIA VI.

Nimis verecunde ſe amare.

NVnc ego Siſyphium video me volvere pondus:
Spem refugæ fruſtra nunc ego ſector aquæ.
Me torquet, rutilum cum Phœbus promovet orbem,
Me, quoties feſſum gurgite mergit, amor.

Et

Digitized by Google

Et tamen illa mei triſtiſſima cauſſa doloris
  Ignorat curas ſola Merilla meas.
Non Veneri gratus vivit, nec amoribus aptus,
  Cui miſero nimium frontis, & oris ineſt.
Ah quoties conor tanti dare ſigna furoris,
  Vulneribuſque meis quærere feſſus opem?
Ah quoties pereunt trepido mihi verba, notæq;?
  Sive eſt ruſticitas, ſeu pudor iſte meus.
Et libet, & timeo. quantumque audacia movit,
  Et bene profecit, deſtruit ille ſemel.
Non mihi ſpem poſſum debere diutius illam,
  Quicquid erit: fortes non decet iſte timor.
Errat, deſidiæ qui præmia credit amores.
  Tam bona cum cura præda petenda venit.
Hyppomenes nequiit Scæneïda ferre ſedendo.
  Nec fuerat merces illa labore minor.
Aut ego non novi, quantum fiducia poſſit:
  Aut facilem dudum ſuſpicor eſſe viam.
Stat mihi vel precibus tenerum convellere pectus;
  (Et dicunt humiles plurima poſſe preces)
Aut teneras lacrimas verba inter ſingula fundam.
  (Et lacrimas dicunt vel ſine voce loqui.)
Si tamen alloquium nimis eſt audere, pudetque:
  Orabit cauſſam littera ſcripta meam.
Forſitan & facilis bene ſe præbebit amandam.
  Res habuit vanos forſitan illa metus.
Vt faciem vidi, nil prætulit ille ſeveri.
  Mitius augurium, ſi licet, inde petam.
Sin ſpernor, nec amat (nullum ſit in omine pondus)
  Mille modis facilis retia tendet Amor.
Non ſum, qui factum verſuti culpet Aconti.
  Inſignem meruit tam bona virgo dolum:
Ignoſco Paridi, nec probra meretur Iaſon.
  Tam lepidum facinus ſuaſit utrique Venus.
Pulchre emitur, quicquid cęptis immanibus emptum (eſt.
  Non eſt conſilii, nec rationis amor.
Auſpicio felix audacia quolibet ibit.
  Conare: addicent heic tibi ſemper aves.

Poſſu-

Poſſumus iratis puppes obvertere ventis,
Si miſeris placido non licet ire mari.
Poſſumus & rigidam pulchre contemnere mortem.
A domina nunquam mors venit ulla gravis.
His Venerem potius colimus, quam thuris honore,
Quam de formoſo ſi cadat agna grege.
Quin mihi nec facta Lacedæmon claſſe petenda eſt.
Non ut amer, ratibus me jubet ire Venus.
Non ego trans pontum quæro mea vota natando,
Nec mihi nunc terras dividit unda duas.
In noſtris oculis, tanta eſt vicinia, vivit:
Tangitur & noſtra pene Merilla manu.
Quid fugio donis victum penſare pudorem?
Sufficit in precium baſia pauca dari.
Sufficit in roſeis amentem hærere labellis,
Delitiaſque ſuas, blandaque verba loqui.
Sin minus eveniet felix audacia prima,
Excutiar cœptis non tamen ipſe meis.
Vidi fallaces toties qui fugerat hamos,
Perrupta piſcem poſt jacuiſſe gena.
Sic quoque quam vitat, volucris corrumpitur eſca.
Sic quoque poſt centum retia capta fera eſt.
Sæpe etiam multum defenſi, poſtmodo dextra
Non magis hoſtili, quam cecidere ſua.

ELEGIA VII.

Ad CVPIDINEM.

BLande puer, toto qui leges figere cœlo
Diceris, & magni ſpernere fulmen avi.
Spicula cui teretem diſtendunt parva pharetram.
Illa tamen feriunt ſpicula parva Deos.
Illa Stygem penetrant: & ſcilicet orbe ſubacto,
Poſt domitos ſuperos, tertia regna petunt.
Blande puer, ſi rite olim tua caſtra ſubivi,
Et calui primis ignibus ipſe puer,

Tra-

Tractavique faces rudibus maturior annis,
Sedit & exiguo Phyllis amata ſinu:
Tandem parce tuis caput hoc implere ſagittis.
Parce precor, pœnæ non ſatis unus ero.
Nulla Deo laus eſt hominem ſine viribus unum
Vincere. vince duos, palmaque major erit.
Hei mihi, quam vereor, ne, cum cōſumpſeris omnes,
In dominam veniat nulla ſagitta meam.
Heic te materiam virtutis quærere fas eſt:
Heic tibi ſint arcus: heic tua tela volent.
Poſt domitos, victoſq; viros, Phœbumque Iovemque,
Vna tuo mulier numine major erit?
Si pudor eſt, iram diſcat matriſque, tuamque:
Quoſq; negat, magnos ſentiat eſſe Deos.
Me miſerum nunc illa ferox impune ſuperbit,
Et toties veſtras ridet inulta faces.
Ille ego, qui vobis nunquam mea colla negavi,
Mancipium pulchræ matris, & inde tuum.
Ille ego ni tantis morerer cruciatibus, eſſent
Scilicet imperii jura minora tui.
Non mea Lemniadum genitrix de matribus una eſt.
Cur peream proavi non meruere mei.
Nec Phaethontiadum dicor de gente propago,
Nec Diomedeæ ſuffero fata domus.
Sicut & Hippolytus vita crudeliter acta
Eripui numeros non tibi, dive, tuos.
Blande puer, merui tandem cur parcere velles.
Hactenus immiti ſufficit eſſe tibi.
Quod petimus juſtum eſt. aut vincula noſtra remitte,
Aut eadem dominæ vincula necte meæ.
Sic te crudeli percellat Gorgone Pallas
Parcius, & leges diſcat amare tuas.
Sic tibi non ungues, quoties præſepibus aufers
Diſpoſitoſq; favos, mellaque, pungat apes.
Si tamen obduras, ſi nil tractabilis audis,
Si mea pro vano verba preceſque cadunt:
Ille tener toto plores mille ulcera tergo,
Ridiculus ſuperis, ridiculusque mihi.

Car-

Digitized by Google

Carduos, & miſtis urens urtica myricis
Dent tibi proque roſis, pro violiſque torum.
Ille tener, quoties incumbit frigidus annus,
Triſtis in Edonis montibus exul agas.
Herculei quoties conſcendit terga leonis
Phœbus, & arentes Sirius urit agros,
Ad procul informes abigaris inutilis Indos,
Quodque ferunt Arabes, Æthiopeſq; ſolum:
Quaque celer dubio Nilus devolvitur ortu,
Et patriam tantæ vix bene monſtrat aquæ.

ELEGIA VIII.

De ancilla, quæ, cum diu virum ſimulaſſet & militem egiſſet, tandem Amſtelredami uxorem quoque duxiſſet, poſtremo capta eſt, & pœnas dedit.

OMnia jam credo. Nunc Atlas fulcit olympum
Scilicet, & Perſeus alite fertur equo.
Nunc etiam ligno tenerum per corpus aborto
Peneis ad patrias conſtitit arbor aquas.
Dædaleas alas; injectum Pelion oſſæ;
Ventribus hærentes, inguinibuſque canes:
Cum ſe ſexus amet, nubatque puella puellæ,
Omnibus hiſtoriis cogor habere fidem.
Non ignota loquor. Batavæ ridete puellæ.
Tam lepidos teſtes poſtulat ille jocus.
Et peream, ſi non invitent omnia riſum.
Si quis abire poteſt, ferreus eſſe poteſt.
Amſtelios nulli licet ignorare potentes,
Mœniaque ornatu conſpicienda ſuo.
Heic ubi ſurgentes immenſis molibus ædes
Divitias unæ quælibet urbis habent.
Præcipuè lepidis laudantur amoribus illic.
Liberior nulla regnat in Vrbe Venus.
Heic mulier nuper vel, ſi fas credere, virgo
Veſte viri ſexum diſſimulata fuit.

Præ-

Præmia militiæ jam tres ſectata per annos,
Geſſerat imbelli non ſua tela manu.
Fœmina quo tendis? non cultus convenit iſte.
Non poſſunt digitos arma decere tuos.
Quid tibi cum gladiis,& acutæ cuſpidis haſta?
Non tibi bombardæ,non tibi facta tuba eſt.
Illa manus tremulis adnectat licia telis.
Aptior eſt operi lana,coluſque tuo.
Vtiliter nunquam ſe credidit aurea pugnæ,
Illa licet Scythici Martis amica,Venus.
Et calathi vobis,facileſque agitentur amores.
Arma gerant alii,fæmina ſemper amet.
Quis ferat in Baccho laurum, pharetramque fideſque?
Si quatiat thyrſos Phæbus,ineptus erit.
Quid ſi flaventi ſua tempora Delia ſpica
Cingeret? arcitenens ſtaret ubique Ceres?
Aut potius,ſi te propior plus tangit imago,
In manibus patitur quis data penſa viri?
Illa tamen ſexumque ſuum,tenerumque pudorem
Exuit,& miles maluit arma ſequi.
Nec ſtetit hac fini metas audacia tranſit,
Vt primum impulſa eſt,depuduitque ſemel)
Iamq; meus Sthenelus quod amet, quòd ludere poſſit,
Quærit,& arma ſubit, militiamque novam.
Mox captat varios procus ambitioſus amores,
Plorat & ad ſurdas nocte,jacetque fores.
Exprimit & gemitus, quos novimus eſſe virorum,
Exprimit & lacrimas, blandaque verba refert.
Denique furtivum jam non meditatur amorem;
Conjugium poſcit,legitimamque facem
Artibus his donec non peſſima mota puella eſt.
Viſaque ſimplicitas eſt ea poſſe capi.
Iam quoque ceu ſponſus,nec non formoſus,amatur.
Aſpiceres,nulla parte pigendus erat.
Iam quoque (quis credat?) ſocialia ſacra parantur,
Ridiculaſque faces ventilat acer Hymen.

Ipſa

Ipſa Venus cernens de ſummo riſit Olympo,
Et dixit:volucres lentius ite meæ.
Et dixit:quæ iam in ſponſi non frigida vultu
Aſſidet,heu votis excidet illa ſuis.
Merſus erat Batavo feſſus modo gurgite Titan,
Heſperus & fuſci lora tenebat equi.
Iamque parens ſponſæ fulcrum geniale locavit.
Et,pede felici,filia, dixit,eas.
Omnia quæ captabat anus:vade,inquit,amata,
Non tibi vulgaris ſternitur ille torus.
Illa ſolo infelix oculos dejecta verentes
Vadit,& in vultu ſigna pavoris habet.
Qualis in amplexus, ſed primos, Tyndaris olim
Pliſthenidæ madidis dicitur iſſe genis.
Ipſe novus riſit convitia feſta maritus
Ad thalamum à pueris, virginibuſque cani:
O felix una ante alias,felicior illo,
Qui tenet in molli nunc tua membra ſinu.
Obſequere audenti, quamvis pudibunda marito,
Ille tibi Veneris præmia blanda ferat.
Non illo melius quiſquam conſumere noctem,
Fallereve optata mobilitate queat.
Audiit à ſummo Saturnius æthere ridens,
Et dedit infreni vota ferenda Noto.
Interea trepidat virgo inter ſpemque,metumque,
Gaudiaque innumeris fingit inepta modis.
Præliaque exſpectat.ſed qualia prælia miſcet,
Cum jacet infuſus Mars,Cytherea,tibi.
Miraturque moram,& quoties ſe concutit ille,
Principium voti credit adeſſe ſui.
Ille nihil nec enim cupientem vana moratus
Languida dat tepido colla ferenda toro.
Et jacet,& toto ſpirat de corpore ſomnos.
Vlterius ſponſi nil habet illa ſui.
Sic etiam teneræ tanguntur veſte puellæ:
Sic jacet in fratris virgo pudica toro.
Quid petis infelix decerpere quercubus uvas?
Non ſua,quæ carpas,mala racemus habet.

Scyrias

Scyrias Æaciden, quem credidit eſſe puellam,
  Poſtmodo non nolens credidit eſſe virum.
Illa tamen melius decepta: ſuperfuit illi.
  Tu miſera in ſicco pumice quæris aquam.
Iamq; ierant noctes aliquot cæpitque puellam
  Frigoris, ut fas eſt, pœnituiſſe ſui.
Donec neſcio quid tetigit mæſtiſſima virgo,
  Ah trepidam dextram tum malus error agit.
Vtque nefas ſenſit, tanquam quæ preſſerat anguem,
  Horruit, & toto corpore nulla fuit.
Mox ubi mens rediit, palmis percuſſa lacertos
  Flevit, & invaſit unguibus ora ſuis.
Fit ſtrepitus tectis: plorant materq;, ſororque:
  Et facies captæ ſcilicet urbis erat.
Turbantur cives: currit vicinia tota.
  Plurimus in tanto turbine riſus erat.
Vndique riſus erat. ſolæ flevere puellæ.
  Vt ſolet interdum mutuus eſſe dolor.
Protrahitur tandem turbata fronte maritus,
  Et jam pro cara conjuge vincla gerit.
Proque toro ſponſæ vectes & clauſtra tuetur:
  Quotque videt manicas, tot putat eſſe faces.

ELEGIA IX.

Ad MERILLAM.

QVod ſi non eſſes veſtris immitior undis,
  Si non in tenero pectore ſaxa forent:
Iamdudum poteras precibus ſuccumbere noſtris,
  Et lacrimis tantis tradere victa manus.
Nunc mea diſcerpunt inſanæ vota procellæ,
  Et prope ſpumantis diripit unda maris.
Ipſe licet clamem: dilecta quid obſtruis aures?
  Deſine: inhumanam ſufficit eſſe ſemel.
Vel tibi jam nullum eſt; vel non, fera, quale decebat
  In tam formoſo corpore pectus habes.

Digitized by Google

Cur potui infelix argutis credere ocellis,
   Cur aliquid flavis, dura Merilla, comis?
Si nihil exaudis; ſi nullo flectere queſtu:
   Gaudia ſi de te nullus amator habet.
Me quoq;, quicquid erat, potius neſcire juvaret.
   Vix facies tanti, totaque forma fuit.
Quo magis inclamo, minus & minus utilis adſto,
   Reſpuis averſa tu tamen aure preces.
Interea fugit ora color, tenuantur & artus.
   Sic videor duræ poſſe placere tibi.
Inſpice, ſi fas eſt, noſtros, age ferrea, vultus:
   Inſpice ſævitiæ pulchra trophæa tuæ.
Ut moriar, ſupereſt, ibit ſine labe triumphus.
   Et moriar: palmæ ſumma ſit illa tuæ.
Te ſatis eſt noſtræ laudem conquirere mortis,
   Inque brevi duram marmore ſæpe legi.
Hunc titulum cernas titulis accedere tantis.
   Hinc quoque fama tuæ nobilitatis eat.
Quæ nunc evecta per avorum nomina ſtirpe,
   Non humili quondam ſanguine nata, tumes.
At mea quod paucæ commendant atria ceræ,
   Quod celebres nullos præfero, ſpernor, avos.
Attamen æquoream Peleus bene Tethyn amavit.
   Ille quidem magnus; ſed Dea Tethys erat.
Candida Siſyphidem cum fleret abire Calypſo,
   Ni fallor, generis non fuit illa memor.
Endymion Lunam tenuit mortalis in ulnis:
   Nec tamen Endymion turpis amator erat.
Quin mihi nec mens eſt ignobilis. heic ego gentem,
   Heic titulos ſtirpis credor habere meæ.
Ingenui mores: animus ſine crimine: purum
   Pectus: & in puro pectore cana fides.
Nulla dolis queritur noſtris decepta puella.
   Nulla mei ſpolium mæcha pudoris habet.
Hoc genus, hæc noſtri menſura eſt ſanguinis una.
   Sic reus indignæ poſtmodo ſtirpis agar.
Et colimus Muſas, eſt pars quoque laudis in illis.
   His ego fortunæ damna rependo meæ,

Hinc

Digitized by Google

Hinc quoque, ſi neſcis, ſurrexit gloria vobis.
Hinc quoque, ſi neſcis, non leve nomen habes.
De tanta rerum turba, factiſque tuorum
Maxima laus nostras eſt coluiſſe Deas.
Et nos, ſi fas eſt, aliquid committere famæ
Poſſumus: & nobis non rude pectus ineſt.
Et tibi de noſtris quædam ſperanda Camænis,
Si non mens nimium læva fuiſſet, erant.

ELEGIA X.

Ad MERILLAM

In Angliam navigantem.

TRans mare vicinos petiit mea vita Britannos.
O faciant celeres ventus, & unda vias.
Nam cum non lacrimis, non vocibus illa tenetur
Ferrea; quid reſtat nunc, niſi vota, mihi?
Quin ego ploravi: quin diſſuadentia verba
Addidi: &, ô, dixi, quam gravis illa via eſt!
Non tibi tot ſilvis petitur formoſior Haga:
Qua tendis, tumidum per mare ducit iter.
Heic tu nec flores, nec prata nitentia cernes.
Vndique, quod videas, nil, niſi pontus, erit:
Et ſuperimpendens cunctis mortalibus æther.
Forte etiam fuerit nubibus ille minax.
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus
Effera, non uni pernicioſa rati.
Quæ quoties undis inſueta natare videbis,
Quam tibi tunc toto nullus in ore color!
Nec volucris canet ulla. hæc ſunt ſolatia ruris.
Hei mihi, quam longe tunc Philomela tibi!
Inter inhumani clamorem, & jurgia nautæ
Auditur toto, nil, niſi triſte, mari;
Ingratus quoties per funes ſibilus exit:
Aut ſtrepit, impulſum cum premit unda latus.

Non

Non tibi ſunt, mea vita, pedes, non membra manuſque,
Horrida quæ poſſint tranſtra, ratemque pati.
Heic tibi non plumæ ſomnos, non ſtragula ducent.
Vteris ſomno commodiore domi.
Heic, quoties motam gravis impulit unda carinam,
Excutiet miſeram, deſtituetque torus.
Quin tua nec potus, cum ſummus vertitur aër,
Pallida nec poterit ora juvare cibus.
Hactenus ô aliquid patieris carcere pejus,
Nam tibi pro duro carcere navis erit.
Vix ſeptem tabulis tota eſt compacta carina.
Poſt ſeptem tabulas cætera pontus erunt.
Hei mihi, quam tenui ſecernis limite fatum!
Cur ſequeris mortem de propiore loco?
At nuper laceraſque trabes, proramq; revulſam
Ludibrium noſtri vidimus eſſe maris.
Cum procul adſtares deſerto in littore mecum.
Et, memini, facies tunc quoque flentis erat.
Vnde novus rigor hic? quæ tanta ferocia mentis?
Cur nunc attonitæ non venit ille timor?
Ah vagus æquoreas ſolus ſecet inſtitor undas:
Trajiciat tumidum nulla puella fretum.
Ille peregrinas, redimens compendia, terras
Vndique per vaſtum Nerea ſæpe petat.
Adſueſcant teneræ tellurem habitare puellæ
Fontibus irriguam, fluminibuſque ſuis.
Quod ſi tantus amor pelagi eſt, undæque marinæ,
In bibulo ponant littore ſæpe pedem.
Heic lepidi juvenes pugnantem quilibet unam
Abripiant primis fluctibus obruere.
Hactenus inclamare Deos in littore tutum eſt,
Perniciem citra, naufragiique metum.
Quod ſi me, mea vita, fugis: ſi denique nuper
Eſt tuus in noſtri tædia verſus amor;
Exerces nimiis ſtantes mercedibus iras,
Si, dum me fugias, ipſa perire potes.

Iuſſeris, efficiam ne ſim tibi cauſſa doloris:
Exiliique mei pæna ſuperſtes ero.
Diximus. Erubuit, lacrimiſque Merilla ſubortis,
Oſculaque admiſcens mille, revertar, ait.
Pluraque dum voluit, lacrimæ tenuere loquentem.
Vix potuit paucis: ſum tua. deinde: vale.
Æole tu placidos per fluctus lenibus auris,
Quo pia fata volunt, gaudia noſtra vehe.
Dumque vehis, nullus, pontum ſubeuntibus hædis,
Aut tumidum Boreas, aut Notus æquor agat.
Tu quoque tum poſitis, Neptune, vagaris in undis,
Oſtendas dominæ ſidera dextra meæ.
Hactenus hanc commendo ratem. dum Theſſala Tyro,
Alcyoneque tibi maximus ardor erit.
Quin & Amymone, nondumque comata colubris
Quem tenuit, teneat nunc quoque virgo locum.
Interea properet, pelagoque Merilla remenſo
Pendeat à collo ſarcina ſacra meo.
Dum properat; dans vela rati tener ipſe, legenſque,
In pulchra ſedeat puppe magiſter Amor.

ELEGIA XI.

Ad CASPAREM BARLÆVM.

Amorem ſuum pudicum eſſe.

Pieridum, Barlæe, decus, quem juret Apollo
Virgilio æternis verſibus eſſe parem;
Dum te Mæonius ſublimem ſpiritus implet,
Et numero cantas ſigna, viroſque gravi;
Seu modo magnanimis circumdas arma Batavis,
Naſſaviique refers mille trophæa Ducis;
Seu modo non victas educis in æquora claſſes,
Dum fugit, & tantas deſerit hoſtis opes.
Me tener in gremio dominæ, poſt oſcula, noſtræ,
Vt ſolet, exiguo carmine donat Amor.

Hæc

Digitized by Google

Hæc voti menſura mei eſt. ſi crimen amare eſt,
 Vnius potero criminis eſſe reus.
At non immodicè, nec quantum vulgus; amamus.
 Hæret honeſtatis limite noſtra Venus.
A caſtis ſcelus eſt nimium ſperare puellis.
 Me miſerum, ſcelus hoc cur prope nemo timet?
Et pereat, quicunque vagos ſectatus amores
 Nomen amatoris inſidiator habet.
Et nunquam caſta lætetur conjuge, quiſquis
 Præmia direpto ſæpe pudore tulit.
Hunc ego majorum potuiſſe revellere manes,
 Et patrios credo contemeraſſe rogos.
Hunc ego germanas corrumpere poſſe verendas,
 Et puto maternam ſollicitare fidem.
Eſt aliquid preſſis animum retinere lupatis.
 Scilicet & frenis indiget acer Amor.
Qui ſimul admiſſus laxatas ſenſit habenas,
 Fertur, & in campos fulminis inſtar abit.
Scilicet iſte Amor eſt, rupes qui tranſilit altas,
 Et glaciem patitur, Sithoniaſque nives.
Ille per oppoſitos fluviorum carpere fluctus,
 Vaſtaque nudatos æquora ſuadet iter.
Ille faces, rabidoſque inſanus corripit enſes,
 Et nectit laqueos, & minitatur aquis.
Ille cruore ſuo ſcenas infecit, & orbem:
 Seu repetit raptas undique, ſive rapit.
Hinc quoque privigni tabeſcit amore noverca.
 Hinc miſeri attonitis diripiuntur equis.
Illius auſpiciis mæchus præfertur Atridæ,
 Illius auſpiciis cum patre nata cubat.
Seu tandem quocunque Tragœdia carmine crevit,
 Et legitur totis ſcripta voluminibus.
Ignibus at quiſquis flagrat, ſine labe, pudicis,
 Et ſequitur caſtas; is mihi ſolus amat.
Non parat inſidias: non utitur ille tenebris:
 Non tacitos noctu dirigit ille pedes.
Nec didicit furtim caſtis obrepere lectis.
 Eveniat noſtris hoſtibus ille furor.

Arboreos fructus caute decerpit agreſtis.
  Improbus avulſa cortice raptor abit.
Caſtus amans modice libat de fonte cadentes;
  Turpiter ingreſſus polluit alter aquas.
Caſtus amor meus eſt. non poſſumus eſſe protervi,
  Non mea ſurripio crimina; livor abi.
Sufficiat meruiſſe aliquid, placuiſſe Merillæ.
  Invidiam candor detrahet ille mihi.

VINC.

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII

ELEGIARUM

LIBER IV.

Digitized by Google

Clariſſimo, Maximoque Viro

PETRO CVNEO, IC.

S. D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

IN fluviis videmus, Vir maxime, ſimul exiguum aliquid extra undas eminet, quod fundo cohæret, quicquid poſtea ſecum flumen trahit, adhærere, firmarique invicem, & inſulam moliri. Eadem plane horum libellorum ratio eſt. Cum enim ante annos quinque, præcoci, quod fateor, temeritate adductus faſciculum inanium verſiculorum edidiſſem, ex eo tempore confluxere & alia, quæ paulatim cum cæteris coaleſcunt. Itaque jam quiddam, quaſi volumen factum eſt. Novi quid de hoc remiſſionis genere judicent plurimi. Sed ego abuti otio meo aliter nequeo, quod plerunque æmulis noſtris inter flagitia perit. Et quid agas, ſi hoc malum poeticum ita comparatum eſt, ut, quod lippientibus evenit, abſtinere manum nequeas, quamvis non ſine dolore frices. Equidem, cum rem cogito, quod de quolibet juvene feſtivè dixit olim Alexis, id in poetam maxime convenit. Ajebat Alexis, adoleſcẽtem, perinde ut vinum recens, antequam uſui cuiquã eſſe queat, ἀποζέσαι debere, καὶ παρακμάζειν. Poetam ego judico, cum aliquandiu indulſerit ingenio, ἀπαρυθέντα τὴν ἄνω ἐπιπολάζουσαν ἄνοιαν, ut idem loquitur, tandem καταστῆναι, καὶ πότι-

πότιμον γενέσθαι. *Vides, quantum mea interſit, ſemel deferveſcere. Neque aliam ob cauſam hæc nunc à nobis eduntur, quam, ut hoc ſtudiorum quaſi turbidum aliquando exhauriam. Ne autem in libellum hunc malevolis quicquam liceat, nominis Tui ſplendorem advoco, Vir maxime: ad contemnendam imperitiam vulgi Tuis jam olim monitis armatus. Narrarem hic aliqua de affectu Tuo. Sed cum tu ea neminem amicorum Tuorum ignorare patiaris, gratias ſaltem agerem pro tot beneficiis, niſi hanc quoque neceßitatem ex amicitia noſtra pridem ſuſtuliſſes. Exquiſitißimæ porro eruditionis Tuæ laudes, ubique diffuſas, notaſque publice recenſere hoc loco, & amplitudo earum, & mea tenuitas prohibet.*

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII
ELEGIARVM LIBER IV.

Elegia I.

Ad CONSTANTINVM HVGENIVM.

DVm furit, & trepidas Grandivus concutit urbes,
Dum volitat circum caſtra Batavus eques,
Clamoſos inter lituos, & ſæva tubarum
Murmura, quæ profugus non bene vitat Iber,
Hugeni calamum noſtræ meruere Camænæ,
Et partes habuit blanda Merilla ſuas.
Sepoſitis patriæ rebus, cùm Principe magno,
Fabricii Muſis dextera tanta vacat.
Sive aliquis genius noſtris non abfuit auſis,
Seu dominæ debent quod placuere meæ.
Scilicet haud unquam ſtulte elegiſſe videtur,
Qui ſua cum multis gaudia juncta videt.
At quantum eſt retuliſſe tuas, vir maxime, laudes?
Materiem, quantum eſt, carminis eſſe tui?
Hoc demum eſt medium Polluce & Caſtore poni,
Quaque patent cæli ſidera, ferre pedem.
Ipſa meo nuper modice laudata libello,
Nunc etiam debet plura Merilla tibi.
Illa ſuis campis inſueta, & mollibus arvis,
Te duce nunc didicit caſtra, tubaſque ſequi.
Tu mediam Batavis docuiſti incedere turmis,
Et ſtrepitus tantos, militiamque pati.

Te

Digitized by Google

Te duce magnanimo propior cum Principe vadit.
Te duce nunc aulam poſſidet illa tuam
Nunc etiam pulchram tecum circumſpicit Hagam,
Miraturque locum, delitiaſque loci.
Heic quoque quod cæpit pridem haud ignota vagari,
Prædicat officii munus habere tui.
Nos procul è noſtro miramur littore plauſus.
Huc quoque lætitiæ non nihil inde venit.
Nec nihil ingenii videor, nec laudis habere:
Et levis ardori blandior ipſe meo.
Me licet à patria totum diviſerit æquor,
Totque interjectis millia multa vadis.
Longe à complexu matris, geminæque ſororis,
Quicquid & eſt iſta dulcius orbe mihi:
Tot tamen amotis te compenſavimus unum,
Et videor nulla parte carere mei.
Quin mihi ſi fragilis tranſacto tempore vitæ
Vltima in hoc Parcæ littore fila legant,
Non tamen ingratas inglorius ibo ſub umbras:
Nec tumulus noſtro nomine nullus erit.
Quamvis, quæ lacrimis perfundat funera juſtis,
Adſit cum miſera nulla parente ſoror.
Ipſa ſuis manibus fugientes claudet ocellos,
Summaque defuncto dona Merilla feret.
Sed titulum buſto, carmenq; Hugenius addet:
FABRICIVS DONEC vixit AMATOR ERAT.
Et quoque, quod nondum juvenis, quod mollibus annis
Opprimor indigna, forte queretur, humo.
Quicquid erit: ſeu nunc æſtates currere plures,
Sive hanc poſtremam Iupiter eſſe volet;
Hugeni tranſire tuis mea tempora fatis,
Si modo non videar degener eſſe, lubet.

ELEGIA II.

Ad CHRISTIANVM CASSIVM.

De luſu virginum Batavarum in glacie.

SPectatum ſuperi concurrite, Dique, Deæque,
Ad Batavas Rheni deficientis aquas.
Quem poſt oppoſitos colles, tumuloſque morantes,
Nunc alia lentum compede vinxit hiems.
Currite: lætitia res eſt digniſſima veſtra
Indiget eximiis teſtibus ille jocus.
Non laquei veteres Veneri ſtrinxere Gradivum:
Scenaque flagitii nulla retecta patet.
Nec demens veſtram conclamat Mulciber aulam,
Dedecoris fœdus proditor ipſe ſui.
Feſtivas juvenum choreas, agileſque puellas,
Præcipiteſque pedes, remigiumque novum,
Et glacie tota volitantes cernite turmas,
Fulminibus veſtris ocyus, atque Noto.
Ipſa verecundam Pallas generoſa ſororem
Huc trahat. hæc facies crimine tota vacat.
Erubeas poſito, Maja prognate, galero.
Plus virgo è Batavis quælibet una poteſt.
Tu quoq; poſt ſuperos venias gratiſſime Caſſi:
De ſuperis tecum pars quoq; magna venit.
Formoſæ Charites, tempeſtivique Lepores,
Pierideſq; Deæ, Pieridumque pater.
Aſpice correptas ſpatiis ferventibus undas:
Aut glaciem, nuper quo fuit unda loco.
Inde aliquis juvenum curſu prævertitur auras:
Hinc volat audaci blanda puella gradu.
Et nunc illa viris plantis pernicibus inſtat:
Nunc ſimul innexa gaudet abire manu.
Græcia tota heic eſt. Quondam Piſéa juventus
Huic oleam ſtadio cedat habere ſuam.
Plus heic Iſthmiaca, Caſſi, ſpectamus arena.
Iſthmiacæ tantum frondis honore carent.

Eſcu-

Digitized by Google

Eſculeam Batavis Phocis Phœbéa coronam,
Quamvis,qui colitur,ſit Deus,ipſa dabit.
Sed teneat palmam,qua gaudet & Elis, & Iſthmus,
Archimoruſque ſuam,Phœbus Apollo ſuam!
Debetur Batavo myrtus pulcherrima circo.
Non aliæ frondes iſta theatra decent.
Vna viris, teneris donentur bina puellis:
Formoſæ Veneris ſerta revincta manu.
Quod ferit igne novo juvenes,ſuperatque volando,
Iam bis victorem gens movet iſta pedem.
Hei mihi,quot tanto ſpirant in frigore flammæ!
Quantumvis medias eſt Venus inter aquas.
Ecce leves pueri,Veneris formoſa propago,
Si qua fides oculis,hoc quoque more volant.
Vna puellaris ſequitur veſtigia ſulci:
Vna præit:nitidum pars tegit una latus.
Omnes aligeri:ſoleiſque ſecantibus omnes:
Omnibus ex humeris aurea tela ſonant.
Hei mihi,cur nimium decurrens illa venuſta eſt?
Hei nimis argutum cur rapit iſta pedem?
Illa verecundis inceſſibus emicat:iſta
Mobile quod corpus ventilat,inde placet.
Illa procax urit: lento capit altera motu:
Alterius faciles cogor amare pedes.
Iſta placet modicum curvata:erectior illa:
Hæc timet,& nimium grata timore ſuo eſt.
Vtque libet,moveantur,habent,cur ſemper amentur.
Materies magni quælibet ignis erit.
Huic tamen è cunctis,agili quæ blanda decoro
Nec tetrici multum,nec gravitatis habet.
Huic decimam de me,juvenes, concedite myrtum.
Iſti non gemina eſt,hei mihi,palma ſatis.
Talis crudeli virgo Schænëia campo
Liquit & ejecit poſt ſua terga procos.
Hæc quoque,quæcunq; eſt, pariter volitatque, necatque.
Hoc differt, quod me cogit amore mori.

ELEGIA III.

Ad FRANCISCVM LEVVIVM à GOVDA.

Optima ingenia amoribus operam dediſſe.

SI quis adhuc teneros damnat levitatis amores,
Iudice Fabricio non meret ille fidem.
Virtutis ſtudium, morum, Franciſce, palæſtram
Intrat, ab ingenuo quiſquis amore calet.
Poſt titulos legum, poſt dogmata mille Stagiræ,
Poſt centum libros, plus Cytherea docet.
Vna Venus trepidas audet producere mentes:
Ingenii vires colligit una Venus.
Nil didicit cultus juvenis, qui neſcit amare.
Spem, miſer, & votum deſtruit ille ſuum.
Nec nihil eſt aliquam lepido ſermone morari,
Nataque, dum loqueris, ſed tamen apta loqui.
Oſcula qui blandæ perſuadet ſæpe puellæ,
Crede mihi, quantum ſufficit, ille ſapit.
Exeat è mundo, qui tetricus eſſe laborat.
Hoſtibus eveniat tam gravis ira meis.
Quam bene fæcundum pectus ſubmittis amori;
Indolis, ô Levvi, res erat iſta tuæ.
Æacides lepidos armis admiſcuit ignes.
Huic quoq; non durum, nec rude pectus erat.
Quin amat Atrides: & virtus Hectoris ardet:
Magnanimuſq; Senex Neſtor amator abit.
Solus Therſites nuſquam calet. Ite ſeveri.
Hos animus motus non niſi magnus habet.
Non reſidem Cypris plebem trahit. adſpice vulgum.
Non eſt anguſti pectoris ille calor.
Vivida quem virtus, & Iupiter excitat æquus,
Quo plus eſt animi, debet amare magis.
Hic cumulus laudum, Levvi: non altius itur.
Ad famam ſatis eſt una puella tibi.
Sed tamen argutos modice quæ vibret ocellos:
Et præter faciem plus, quod ametur, habet.

For-

Digitized by Google

Formoſum pariter quiddam, pariterque verendum.
Quod repeti ſola non niſi mente poteſt.
Quale tuæ Seliæ, ſi neſcis, optime Levvi,
Emicat ex oculis, purpureiſque genis.
Intrepidum, blandumq;, & quod nec dicere poſſum,
Non leve, nec triſti cum gravitate tamen.
Currite mortales: omnes diſtinguite formas:
Iſte decor nullo judice nomen habet.
Ipſa quidem facies ad blanda incendia nata eſt:
Quam tamen ingenuè ſemper amare velis.
Ne cupias quicquam, quamvis cogaris amare,
Qui vetet, ah teneras ſtat pudor ante genas.
Huic ſimili vultu ſilvas Diana pererrans
Præſidium in ſola fronte pudoris habet.
Sic, niſi quod ſparſos obnubit caſſide crines,
Detinet attonitos ſola Minerva Deos.
Arſiſti merito, Levvi plus conſpicis illic.
Iſti oculi quiddam numine majus habent.
Aurea parce Venus. Seliæ poſtpono Merillam.
Judicium primus nunc ego damno meum.

ELEGIA IV.

In Lampades, & reliqua dramata ſacra BERNHARDI MEIERI.

HActenus Æacides ſcenas infecit, & Ajax,
Ille Dei manibus dum cadit, iſte ſuis.
Ardentem Alciden, furias ſpectamus Oreſtis,
Hectoraque, Æmoniis cum raperetur equis.
Ah quoties patrem Theſides ſentit iniquum!
Ah quoties nimium Phædra noverca fuit!
Suſtulit amplexum quærentes perfida natos
Phaſias, haud uno crimine facta nocens.
Oedipodis, Pelopiſq; domo vix notior ulla eſt,
Dum ſimili varium carmine creſcit opus.
Manibus exſtincti Priamëia nupſit Achillis,
Et tepidum tinxit cæſa puella rogum.

Heic aliquis Sophocles, heic dum ſe jactitat alter,
Turpis anus mater, mæſtaque, vendit olus.
Heic animos quiſquis potuit præſumere magnos,
Fortiter inſurgit, & ſibi ſæpe placet.
Quæ mihi, dum thyrſo dudum graviore moveris,
Quæ mihi nunc ſordent, dum meliora canis.
Tu rapis accenſam, Mejere, ad ſidera mentem,
Et procul æternum carmine numen adis.
Niſſides, natique, & tanti claſſica belli
Materies Muſæ ſunt magis apta tuæ.
Improbus, & dudum cæli contemptor Achabus,
Infandæ pœnas impietatis habet.
Impetus ille tuum decuit, vir magne, cothurnum.
Hæc laus ingenii debuit eſſe tui.
Qui quoties facili tranſis tua pulpita ſocco
Lenior incedens; utraque palma tua eſt.
Heic quoq; non fœdum quærit pro conjuge ſcortum,
Nec probat in gnato, quod facit ipſe, ſenex.
Non tibi laſcivos excludit Thaïs ephebos,
Lenaque in his partes non habet ulla ſuas.
Sed pius æterni decantas munera regis.
Hinc decuit famam carminis ire tui. (pas
Nunc ea, quam quondam præmittis, ſplendida Lam-
Ad laudem reliquis monſtrat, amice, viam.

ELEGIA V.

Ad ZACHARIAM LVNDIVM.

Vt in Hollandiam veniat, hortatur.

SIc tibi feſtivi faveant, ut ſemper, Amores:
Sic tua feſtivus carmina Phœbus amet:
Vt nihil eſſe poteſt conſpectu lætius illo,
Spem modo non vanam, quam facis, eſſe velis.
Incipe pollicitis, Lundi conjungere facta:
Incipe promiſſis ocyor eſſe tuis.
Quoſque optas celeres, quamque, ô dilecte, dediſti,
Inveniant ventos carbaſa, verba fidem,

Quam-

Digitized by Google

Quamlibet inviſis complexibus ire moretur:
 Teſteturque ſuos blanda Charinta Deos.
Et modo bacchantes cauſetur ſedula ventos:
 Milleque dejuret monſtra natare mari.
Aut modo vertendis non ſidera fluctibus apta,
 Aut pelagi tumidas ſæpe queratur aquas:
Omniaque objiciat, quo ſis metuentior undæ;
 Ne moveant animum nomina vana tuum.
Plurima dum fingit, dum plurima fœmina credit,
 Dedidicit dudum religioſa loqui.
Quicquid erit. ſacros ſervat Galatea poëtas.
 Hoc Siculi precium carminis illa dedit.
Naviget incolumis, quemcunque eduxit Apollo,
 Ne pereat. toto lex ea dicta mari.
Sed metuo tremulas per amantia lumina guttas.
 Et metuo gemitus verba ſecuta ſuos.
Oſculaque, & quicquid poſt oſcula dulce putatis.
 Ah nimium gratas pars habet illa moras?
Heic quoque non turpes ſpectantur, crede, puellæ.
 Heic quoque, ſi neſcis, baſia carpit amans.
Nec ſunt illepidæ: nec ſunt poſt oſcula duræ:
 Nec nimium frontis, nec gravitatis habent.
Tu modo pande ſinus, & totis utere remis.
 Heic quoque regnat Amor. tu modo pande ſinus.
Quid nunc Heinſiaden referam ? quid nomina plura?
 Hi quoque ſunt tanti. tu modo pande ſinus.
Heic nos ſublimem pariter mirabimur Hagam:
 Auriaci pariter regna, domumque Ducis.
Nec nos deficiet littus luſtrare Batavum:
 Nec tremulis undis tingere ſæpe pedes.
Ah quoties iſtas mecum percurrit arenas,
 Dum fugit & trepidat noſtra Merilla capi.
Heic quoque Nortvici, ſeceſſum ſæpe videbis:
 Fabricii Tempe, delitiaſque tui.
Invenies illic Douſæ monumenta, lareſque.
 Proxima muſæo, grataque tecta meo.
Iſte locus noſtris aliquid debere Camænis
 Nec negat, atque olim cur fateatur, habet.

Digitized by Google

Heic quoque formoſam dabitur ſpectare Merillam:
Pluràque felicem tu modo ſolve ratem.

ELEGIA VI.

Ad ADOLPHVM VORSTIVM Medicum.

Cum ipſo praſide de omnibus cerebri ac capitis affectibus publice diſputaret.

IVnge manum, Vorſti. tandem diſcedimus illinc,
Quo vocat imbelles deſidioſa Venus.
Eſt aliquid lepidis Muſas donare puellis;
Nec nihil ingenii, nec nihil artis habet.
Sic quoque manſuræ junguntur tempora famæ.
Candidius nullum laudis amatur iter.
Et me vel temere, vel non ſine numine motum,
Obſequium dominæ quærere juſſit Amor.
Exciderant verſus, quid enim non tentat amator?
Hos quoque, qui legerent, unus & alter erant.
Forte etiam decuit; dum non majoribus apto
Vna Merilla mihi ſeria cura fuit.
Dum calet, & pulchra fertur levitate juventus,
Ætatis numeros convenienter habet.
Nunc alios meditor prima lanugine mores:
Et pudet ardoris, diſpliceoque mihi.
Quin duo poſt tergum cum luſtris luſtra duobus
Objiciunt curæ, ſed gravioris, opus.
Iunge manum, vir magne. Iubet majora movere
Auſpiciis tecum, ſi ſinis ipſe, tuis.
Nec mihi conandi generoſus defuit ardor,
Nunc animus nobis te duce major erit.
Ite Deæ ſteriles: alios ſectamur amores.
Tu quoque cum Muſis, blanda Merilla, vale.
Vorſtius infeſtos monſtrat pervincere morbos:
Quæ noceat radix, quæque ſit herba potens.
Quid lapides, gemmæq; juvent: quodcunq; medendi
Vtile vel tellus tota, vel æquor habet.

Has

Has ego cognoſcam, Vorſti, ſecurior artes;
Nec metuam dominæ verba, minaſque meæ.
Nec cogar famulamque trucem, poſteſque ſeveros,
Rivaliſque dolos, invidiamque pati.
Theſſalus Æaciden tutum Sperchios habebat,
Cum juveni nondum fæmina nota foret.
Cum ſapiens Chiron herbas, fruticeſque doceret;
Et quicunque viret qualis ubique color.
Quid valeat lapathum, quid lychnis, aquoſaq; lotos,
Quæq; à converſo ſidere nomen habet.
Iam quoque morborum titulos, cauſſaſque tenebat:
Iam ſatyris medicam ſæpe ferebat opem.
At poſtquam infelix herbaſque, ſenemque reliquit,
Protenus in vacuo pectore ſedit Amor.
Quis turpes habitus neſcit, raptumque pudorem,
Hoſpitii læſam, conjugiique fidem?
Cætera quis neſcit? Sed viſa Polyxena tandem
Indomitæ mentis ſumma ruina fuit.

ELEGIA VII.

Ad CHRISTIANVM CASSIVM,

Lugduno Bat. in patriam revertentem.

SIc tibi contingat ventis felicibus uti,
Nec ſint difficiles, dulcis amice, viæ.
Vtque ſolet, læto te Grotius ore ſalutet,
Excipiatque manum dextera tanta tuam:
Vt cupio veſtram ſine me non ſolvere navem,
Sive etiam terra pergitis, ire comes.
Tecum dilectas videam cum matre ſorores,
Exiguumque larem, Goonbrivioſque meos.
Albis habet noſtræ cunabula prima juventæ.
Hei mihi, tam gratas quis mihi reddet aquas!
Me procul è Batavo ſpectantem littore, Caſſi,
Non eadem tecum puppis, & unda feret.
Quin eadem tecum me puppis, & unda tuliſſet:
Injicit ah teneras ſola Merilla manus.

Propo-

Propoſitamque viam lacrimis, & voce moratur,
Durior eſt ſaxo, ſi quis abire poteſt.
Objeci matrem: per me cognoſcis eandem,
In me germanam, dixit, utramque tenes.
Objeci patriam: patriam, dulciſſime, Leidam,
Me miſeram, cur te, dixit, habere pudet?
Sic ait, & dictis gemitus, ac baſia jungit.
Ferreus eſt ſiccis, qui videt iſta genis.
Non ſequimur, dilecte, tuas, ignoſce carinas.
Siſtitur in primo limine noſtra ratis.
Non patior dominæ plorantia lumina Caſſi.
Da veniam: duro non licet eſſe mihi.
Sæpe animum ſumpſi rigidus, ſpreviq; puellas.
Venerunt capiti cornua ſæpe meo.
Vt dominæ vidi lacrimis venientibus ora;
Exciderat virtus, & male fortis eram.
Andromache quoties ſuffuſis ſtabat ocellis,
Priamides ſtupuit, languidiorque fuit.
Tunc fratrem damnavit, & infelicia bella:
Sæpe haſtam tremulæ non tenuere manus.
Ogygia quærentem Ithacum diſcedere terra
Orantis lacrimæ detinuere Deæ.
Vix ierat menſis, patriam depoſcere cæpit:
Ante oculos conjunx, Telemachuſque fuit.
Formatura rudem flectebat robora cymbam.
Ipſe opifex navis, ipſe magiſter erat.
Iamq; revertendi certus, licet arte carentem
Addiderat clavum, velaque parva rati.
Præmia manſuro proponit ſumma Calypſo,
Conjungitque preces, ſollicitatque minis.
Patria prævaluit donis, licet aſpera, tantis;
Penelope precibus, Telemachuſque minis.
Suſpendi teneris guttas ubi vidit ocellis,
Ceſſit, & ut victas tradidit ipſe manus.
Nunc quoq; ſediſſet, niſi Iupiter ipſe vitaret,
Oblitus patriæ, cum patriaque ſui.
Ah lapis eſt, ferrumq;, precantis quiſquis amicæ
Non ullum lacrimas pondus habere ſinit.

Pone,

Digitized by Google

Pone, precor, mediis me ſyrtibus; adde Merillam:
Iam patria fiet gratior ille locus.
In patria eſt, quiſquis gremio conſedit amicæ.
Qui dominam flentem deſerit, exul abit.
Interea noſtros ſine me viſurus amicos,
Caſſi, propitios experiare Deos.

ELEGIA VIII.

Epiſtola Merillæ ad V. Fabricium, poſtquam ex Hollandia in patriam rediiſſet.

Scripſit Z. Lundius.

AN fuerat tanti noſtra diſcedere Leida;
An tanti patrios rurſus adire lares;
Vt deſiderio lento conſumpta perirem;
Speque tui reditus pene ſepulta forem?
Si memor es fidei; vel ſi tibi cura Merillæ eſt;
Rebus promiſſam parce negare fidem.
Improbe, non memor es: nam ſic, fugitive, redires.
Non eſt res lentæ conditionis amor.
Promiſſis tunc dives eras, cum vela parabas.
Abſtulit ah idem vela, fidemque Notus?
Non queror, ex oculis quod ſum, ſed pectore lapſa:
Cur tibi tam ſimplex decipienda fui.
Dicere te quoties memini: confide Merilla.
Prolixi non eſt temporis illud iter.
Vnum, dicebas, expectes, optima, menſem,
Et videas reduces me retuliſſe gradus.
Velle mihi crebros, dicebas, mittere verſus.
Dicebas, totos mittere velle libros.
Et quid non poteras abiens promittere pulchrum?
Quæ ſimulatoris non data ſæpe manus?
Credula turba ſumus. facile fraudamur amatæ.
Sæpe puella ſibi ſimplicitate nocet.
An laudaſſe piget? MEA num ſcripſiſſe MERILLA EST?
Quodque legor libris non moritura tuis?

Si

Si placet, excludar. tantum conare reverti.
Diligo præ fama te, mea vita, mea.
An fuit in patriis formoſior ulla puellis?
Si formoſa: tui non ſtudioſa magis.
Cum tu me peteres (nec enim potes iſta negare)
Continuo volui tradere victa manus.
Non immitis eram. quicquid tibi dulce putabam,
Vt facerem, in votis hoc erat omne meis.
Ibas in campos: in campos ire placebat.
Sæpe eadem nobis ſilva duobus erat.
Sæpe in littoreas tecum abducebar arenas.
Semper eram lepidæ duxq; comeſque viæ.
Baſia prætereo, quæ tu non rara tuliſti,
Quaſque dedi, faciles in tua colla manus.
Quod potui, feci. nihil accepiſſe videris.
Spernimur. aut ſi non ſpernimur, ecquid abes?
Nec quod abes tantum, quam, quod nil ſcribitur, an-
Nulla venit digitis charta notata tuis. (gor.
Nec tibi difficile eſt. Batavis res nota puellis,
Ingenii currant flumina quanta tui.
Naſo, quod incedit comptis Elegia capillis,
In facie maculas, ſigna pudentis, habet.
Et lepide loqueris, & culta poëmata ſcribis,
Vt fugiat caſſes nulla puella tuos.
Me dudum fateor captam. nam nolle fateri
Quid foret? in facie proditor extat Amor.
At, dum captabas, mittebas carmina nobis:
Iam captæ mittis, perfide, nulla mihi.
Ne langueſcat amor. ne fiam aliena, cavendum eſt.
E cavea volucris non bene culta fugit.
Da veniam faſſæ, noſtros qui flectat amores
Non procul, atq; idem non male notus adeſt.
Ne nihil efficiat, mittit cum carmine lenam,
Quæque ferat pleno grandia dona ſinu.
Quæque meos narret comptos ſplendere capillos,
Vt capiat blandis inſidiata modis.
Ipſe quoque aggreditur: me laudat: plurima fingit:
Quam videar mitis, quamque venuſta ſibi.

Quam

Quam placeat vultus. quantum Iunone Merilla
Pulchrior; & præ me non cupienda Venus.
Blandus Amor Deus eſt. teneras capit ille puellas.
Et vereor, ne ſit fluxa Merilla fide.
Quid loquor ah demens? non cultum carmen amantis
Me capiet, miſſis decipiarve datis.
Pergat adulator: non me mendacia mutant.
Blandus erit: firmo pectore durat amor.
Tu modo quî valeas, cujus jam cura Minervæ,
Litera fac veniat longa legenda mihi.
Sed non forte vacat. Amor heic mihi vellicat aurem,
Te modo natali feſta litare Deo.
Quodque ſuos adſit Genius capturus honores
Fumet & accenſus thure, meroque focus.
Patria quod virgo ſertis tua tempora cingat.
O noſtris fuerant illa tegenda roſis!
Dicantur bona verba Diis, urantur odores:
Dummodo te mecum mutuus urat amor.
Pone merum Genio: lacrimas ego queſtibus addam.
Quæ tua lætitia eſt, ſit mihi flenda dies.
Nec mutare queo. te, te ſuſpiro relicta;
Te totas noctes cogito, teque dies.
Ne fruſtra exſpectem, ne macerer amplius, aut dic
Te non venturum, aut, quod magis opto, veni.

ELEGIA IX.

Ipſe ad ſuperiorem epiſtolam reſpondet.

SIc contingat amor, mea vita, tibique mihique
Mutuus, ut venit mutuus ille dolor.
Scilicet exiguum ſuperis, dulciſſima, viſum eſt
Fabricium Batavis eripuiſſe tuum:
Ni pariter toto ferme disjungerer anno,
Et fierem fraudis, perfidiæque reus.
Hoc quoque curarunt; ſaltem, ſi juſta querendi
Non tibi cauſſa fui, tu mihi cauſſa fores.

Nil

Nil erat in nobis (nec enim pudet iſta fateri)
  Dicere cur poſſes; dignus amore meo es.
Non ego formoſus, mea Lux, non dives habebar.
  Inferius voto ſcilicet illud erat.
Nec nimium doctus credor, nec valde diſertus.
  Hoc vitium multis ſuſpicor eſſe tamen.
Candorem de me poteras ſperare, fidemque.
  Hac quoque me ſuperi laude carere volunt.
Tu ſimul (ah juſtis ignoſce, Merilla, querelis)
  Invidiam miſero conciliare ſtudes.
Nec ſatis iraſci fuerat: convitia jungis.
  Hei, tibi tam ſævas quis putet eſſe manus?
Non tamen accuſo, tanquam quæ lædere velles.
  Tam facilis flammas indicat ira tuas.
Tu mihi ſuccenſe, ſic ut cogaris amare.
  Hoc precio nondum pœnitet eſſe reum.
Si tamen eſt animus rixari, iraſcere fatis.
  Crede mihi noſtrum fata morantur iter.
Per tua, quæ cupio contingere, lumina juro,
  Quod venio nondum, non ea culpa mea eſt.
Tu tamen externos meditari dicis amores,
  Vt tibi perfidiæ plena querela foret.
Iamque putas, aliquam patria de gente puellam,
  Quæ tu debueras, oſcula ferre mihi.
Scilicet in culpa minimum eſt. tu denique credis
  Conveniens noſtris moribus eſſe ſcelus.
Sed ſuperos, Geniumque loci, noſtroſque Penates,
  In patrio vitreas flumine juro Deas,
Non mea nectuntur alieno brachia collo.
  Tam lepidum munus ſervo, Merilla, tibi.
Libavitque genas, niſi cum tu ſumma dediſti
  Oſcula, Fabricii nulla puella tui.
Nec patior. ne dulce tuum peregrina voluptas
  Auferat, in labiis quod ſedet uſque meis.
Dulce recordari eſt & rerum, & temporis acti:
  Res ſecum ingrati non minus illa trahit.
Sed tamen hoc dulce eſt, & te meminiſſe videmus
  Quamlibet iratam: ſed meminiſſe tamen.

Cum

Digitized by Google

Cum facili luſu mecum certare ſolebas.
Palmaque feſtivæ baſia litis erant.
Naiades innocuam ſpectantes undiq; pugnam,
Me quoque ridebant ſuccubuiſſe tibi.
Et Batavum littus, virideſq; per æquora Nymphæ,
Lætitiæque notas conſcius hortus habet.
Hæc ego cum meditor: crudelia numina, clamo,
Tam procul à Batavis cur ego ſolus ago?
Illa (quid heic faciam?) ſervat mea gaudia tellus,
Quid mihi cum patria, ſi meus ignis abeſt?
Sic miſero triſtes abeunt, dulciſſima, luces.
Contingit mediis noctibus illa quies.
Ah quoties poſitis dapibus (nota certa furoris)
Nec capior potu, nec juvat ora cibus.
Aſſidet, & vultum cuſtodit callida mater.
Hei mihi tam late cur mea cura patet!
Conjicit & morbum. ſed cum ſuſpiria ſentit,
Neſcio quid doleas, inquit, & ipſa dolet.
Mæſta ſoror tremulas ſuſpendit lumine guttas,
Atque ait: an nondum me quoque, frater, amas?
Non agitur de te. cura majore tenemur.
Hæc tacitus mecum, diſſimulanſque loquor.
Forte etiam dubitas. quin ergo reverteris, inquis.
Me miſerum, voti pars erat iſta mei.
Fata negant reditum: ne pergant fata negare,
Adde meis precibus, Lux mea, ſæpe tuas.
Non tamen heic totam poſſum defendere culpam.
Conſiliis noſtris error ineſſe poteſt.
Abſolvo ſuperos. ſi mens non læva fuiſſet,
Ominibus poteram ſtultus habere fidem.
Ter memini veſtro puppim deſcendere portu:
Ter retulit timidam ventus, & unda ratem.
Ah quoties vixi, retro rapientibus undis;
Adverſi traherent cum mea vela Noti:
Sollicitat ſuperos formoſa Merilla, parenſque.
Sed trahit in partes ſola Merilla Deos.
Ire tamen volui, licet Æolus ipſe vetaret.
Iuſtaque cauſſa viæ languida mater erat.

Cætera

Cætera non felix. ſed ſalva matre reperta
  Depoſui miſeræ tædia longa viæ.
Quo tamen incolumem Dii reſtituêre parentem,
  Si ſpem deſtituis tu, mea vita, meam?
Scilicet immenſis à te quod dividor undis,
  Non ſatis infelix, nec miſerandus ero:
Ni ſimul exſtinguat noſtrum rivalis amorem,
  Atque alius de te gaudia noſtra ferat.
Crede mihi, at legi trepidans immitia verba,
  Excidit è digitis litera lapſa meis.
Quiſquis es, abſentis deſiſtas jura movere.
  Quam male ſollicitas, eſt mea: tolle manum.
Sic tibi conjugium nullus deformet adulter:
  Sic thalamos intret caſta puella tuos.
De noſtra noli quicquam ſperare: pudica eſt.
  Diverſo ſpolium de grege quære tibi.
Denique natalem memoras, & gaudia feſta.
  Eveniant ſine te gaudia nulla mihi.
Nunquam lætitiæ minus; aut deſertior ara.
  Dîs laribus nunquam thura minora dedi.
Vix ſemel infuſo Genium diſcedere vino
  Senſimus. intulerat vix tamen ille pedem.
Lundius admonuit BENE proclamare MERILLAM.
  Et bibimus cyathos ter tibi quiſque duos.
Cætera ſolventur ſuperis præſente Merilla,
  Victima pro reditu cum cadet agna meo.

ELEGIA X.

Ad ZACHARIAM LVNDIVM Elegias venatorias edentem.

LVndi qui Venerem venatum educere tecum,
  Et Veneris natos, Pierideſque ſoles,
Cui Dictynna feram, melior Cytherea puellam
  Implicat, in prædam ne ſatis una foret,
Sic tibi ſuccedat felix venatio duplex,
  Et faveat [illegible]tis utraque Diva tuis:

Digitized by Google

Vt ſilvas nemo Satyris dilectior intrat,
Aut animo Dryades candidiore colit.
Novimus Hyppolitum. Dum non admiſit amorem,
Gloria decrevit, nec ſine labe fuit.
Vt Phædram nollet: reliquas ſapienter amaſſet.
Crimine ſimplicitas tanta carere nequit.
Scilicet hirſutos iret venator in urſos,
Opprimeretque lupos, & ſequeretur apros,
Baſia qui teneræ metuit, gremiumque puellæ.
Non ſatis eſt fortis, quiſquis amare timet.
Et robur Cephali pariter laudamus, & ignes.
Dignus habere fuit, promeruitque Deam.
Exemplo Cephali venator Lundius eſſet;
Si celebris fama carminis ille foret.
Lundius ad reliquas laudes cum jungeret iſtam,
Æmulus exempli nobilioris erat.
Carminis autor erat, nec ab uno læſus amore
Pythius. à ſilvis hoc quoque nomen habet.
Quis venatorem Pythone jacente negavit?
Lundius autorem jactat habere Deum.
Tunc quoq; cum Daphne primo conſpecta placebat,
Quærere ſilveſtres ibat Apollo feras.
Illa quidem placuit: ſed non tu, Phœbe, placebas.
Quam facile elapſa eſt tam bona præda tibi!
Optime venator, Lundi, tibi ſponte Charinta
Annuit, & capitur: ſed magis ipſa capit.
Cumque fugit, ſectatur, & inſtat, & optat amari,
Nec nemorum Nymphas, invidiamque timet.
Nosquoq; non laqueis trahimur, ſed carmine docto.
Quale tibi medium provenit inter opus:
Dum patrias ſilvas, & Pindum caſſibus iſtis
Cingis, & hinc famam quæris, & inde feram.

ELEGIA XI.

Ad AVGVSTVM BVCHNERVM.

Cum poſt horrendam illam inundationem, quæ Anno 1634. contigit, in Cimbrica Cherſoneſo viveret, & aliquot orationes ab ipſo VVitenberga dono miſſas accepiſſet.

ME prope diviſum totis, Auguſte, Camenis
Parrhaſis egelido deſpicit Vrſa polo.
Hoc tamen exilium Buchneri dona ſequuntur:
Nec ſat erat, nondum dememiniſſe mei.
Incalui ſubito, poſtquam facundia nota
Heic quoque dignata eſt, ſed ſine voce, loqui.
Quin mihi nunc vultum videor dicentis, & ora
Conſpicere. & quicquid deniq; fingit amor.
Omnia fingit amor. ſed plus deſiderat iſtis.
Pene voluptatem deſtruit ipſe ſuam.
Expetit amplecti coram, quem diligit abſens;
Iamque oculis iſtis optat, & ore frui.
Interea doctæ delector imagine mentis.
Autoris precium miſſa papyrus habet.
Hac ego deſertum conſolor, & otia mæſta,
Inque viam redeo, reſtituorque mihi.
Denique delitias ſtudiorum ſæpe reſumo:
Colligiturque recens ignis ab igne tuo.
Iamq; minus triſtis non indignatur amænas
Ad ſua Pierides regna vocare Themis.
Non tamen, ut quondam, totus miteſcere poſſum.
Materies nondum carminis extat Amor.
Nec tamen accuſo dominam. ſatis illa benigna eſt.
Si qua puella poteſt eſſe benigna ſatis.
Sed noſtram avertit facinus crudele Camænam,
Iraque Neptuni, ludibriumque maris.
Vidimus immanes terras invadere fluctus,
Et quales priſci Deucalionis erant.
Nulla mali facies nocti non adfuit iſti,
Quæ miſeris terris ultima pene fuit.

Naufra-

Digitized by Google

Naufragium mundo non triſtius extitit ullum.
Huic ſimilis ſtragi nulla ruina fuit.
Nunc ego reliquias tanti conſidero damni,
Muſaq; languorem quem trahit, inde trahit.
Indignata nefas convitia fluctibus illa
Colligit, ad famam quod putat eſſe ſatis.
Iamq; hominum, pecudumq; exprobrat millia multa,
Poſteritas quantum credere nulla poteſt.
Inde canet pacemque, & miteſcentia bella.
Si modo miteſcunt nunc ea bella ſatis.
Ad dominæ gremium tandem poſt cuncta reverſa,
Hoc quoque Parnaſſo præferet illa ſuo.

ELEGIA XII.

In Nuptias

CHRISTIANI CASSII.

VIrtute emeruit fortunam Caſſius omnem.
Cedat, & hic livor nil ſciat eſſe ſuum.
Grotius ingenium produxit, & omina fecit.
Illuſtrem juveni prætulit ille facem.
De laribus tantis egreſſum provocat Aula.
Non aliam poterat dignus inire domum.
Occurrit Princeps, meritiſq; æquavit honores.
Creſcere non alio debuit ille modo.
Omnia contigerant. & jam patriæque, Duciq;
Sufficit, at nondum ſufficit ipſe ſibi.
Omnia cum teneat, deſunt tamen omnia votis,
Vlteriuſq; aliquid, quod velit, eſſe putat.
Nec tamen ambitio eſt. cum nemo modeſtius uti
Fortunæ ingenio, muneribuſque queat.
Sed nec amor nummi corruperat. Integer ille
Principis ante oculos itque, reditque ſui.
Et quoq;, quicquid erat, nondum explorare vacabat.
Præfertur ſtudium, quod jubet aula ſequi.
Præfertur Princeps. ſed, dum præfertur, in ipſo
Obſequio quiddam, quod reprehendat, habet.

ELEGIA XI.

Ad AVGVSTVM BVCHNERVM.

Cum poſt horrendam illam inundationem, quæ Anno 1634. contigit, in Cimbrica Cherſoneſo viveret, & aliquot orationes ab ipſo VVitenberga dono miſſas accepiſſet.

ME prope diviſum totis, Auguſte, Camenis
Parrhaſis egelido deſpicit Vrſa polo.
Hoc tamen exilium Buchneri dona ſequuntur:
Nec ſat erat, nondum dememiniſſe mei.
Incalui ſubito, poſtquam facundia nota
Heic quoque dignata eſt, ſed ſine voce, loqui.
Quin mihi nunc vultum videor dicentis, & ora
Conſpicere. & quicquid deniq; fingit amor.
Omnia fingit amor. ſed plus deſiderat iſtis.
Pene voluptatem deſtruit ipſe ſuam.
Expetit amplecti coram, quem diligit abſens;
Iamque oculis iſtis optat, & ore frui.
Interea doctæ delector imagine mentis.
Autoris precium miſſa papyrus habet.
Hac ego deſertum conſolor, & otia mæſta,
Inque viam redeo, reſtituorque mihi.
Denique delitias ſtudiorum ſæpe reſumo:
Colligiturque recens ignis ab igne tuo.
Iamq; minus triſtis non indignatur amænas
Ad ſua Pierides regna vocare Themis.
Non tamen, ut quondam, totus miteſcere poſſum.
Materies nondum carminis extat Amor.
Nec tamen accuſo dominam. ſatis illa benigna eſt.
Si qua puella poteſt eſſe benigna ſatis.
Sed noſtram avertit facinus crudele Camænam,
Iraque Neptuni, ludibriumque maris.
Vidimus immanes terras invadere fluctus,
Et quales priſci Deucalionis erant.
Nulla mali facies nocti non adfuit iſti,
Quæ miſeris terris ultima pene fuit.

Naufra-

Naufragium mundo non triſtius extitit ullum.
  Huic ſimilis ſtragi nulla ruina fuit.
Nunc ego reliquias tanti conſidero damni,
  Muſaq; languorem quem trahit, inde trahit.
Indignata nefas convitia fluctibus illa
  Colligit, ad famam quod putat eſſe ſatis.
Iamq; hominum, pecudumq; exprobrat millia multa,
  Poſteritas quantum credere nulla poteſt.
Inde canet pacemque, & miteſcentia bella.
  Si modo miteſcunt nunc ea bella ſatis.
Ad dominæ gremium tandem poſt cuncta reverſa,
  Hoc quoque Parnaſſo præferet illa ſuo.

ELEGIA XII.

In Nuptias

CHRISTIANI CASSII.

VIrtute emeruit fortunam Caſſius omnem.
  Cedat, & hic livor nil ſciat eſſe ſuum.
Grotius ingenium produxit, & omina fecit.
  Illuſtrem juveni prætulit ille facem.
De laribus tantis egreſſum provocat Aula.
  Non aliam poterat dignus inire domum.
Occurrit Princeps, meritiſq; æquavit honores.
  Creſcere non alio debuit ille modo.
Omnia contigerant. & jam patriæque, Duciq;
  Sufficit, at nondum ſufficit ipſe ſibi.
Omnia cum teneat, deſunt tamen omnia votis,
  Vlteriuſq; aliquid, quod velit, eſſe putat.
Nec tamen ambitio eſt. cum nemo modeſtius uti
  Fortunæ ingenio, muneribuſque queat.
Sed nec amor nummi corruperat. Integer ille
  Principis ante oculos itque, reditque ſui.
Et quoq;, quicquid erat, nondum explorare vacabat.
  Præfertur ſtudium, quod jubet aula ſequi.
Præfertur Princeps. ſed, dum præfertur, in ipſo
  Obſequio quiddam, quod reprehendat, habet.

Scilicet enituit tandem Venus aureá victrix;
Imperioque Ducis fortius urget Amor.
Buſſia conſpecta eſt: & fit privatus amando
Caſſius, & cedit, nec negat eſſe minor.
Delitias aulæ jam parcius ille frequentat.
Et dominæ modicos prætulit inde lares.
Spes quoq; conclúdit gratis amplexibus omnes;
Et tepido finit maxima vota ſinu.
Imperioſa Venus juvenem ſibi vindicat uni.
Da veniam Princeps, non vacat ille tibi.
Da veniam cupido. Nimis, ah, nimis illa venuſta eſt,
Immemoremque ſui quemlibet eſſe facit.
Et redamat. ſaltem redamando exorat amorem,
Et modicum virgo tam pudibunda petit.
Quæ tibi debentur, Princeps, horæque, dieſque,
Hinc aliquot ſaltem poſtulat illa ſibi.
Dum formoſus Hymen rubicundæ virginis aures
Vellit, & in tenera flammea fronte ſedent.
Dum pavet ad nomen Sponſæ, trepidumq; pudorem
Inſtruit, & lætum vix bene diſcit opus.
Mox ubi præluſit naſcenti Caſſius igni,
Feſtivis tantum noctibus illud aget.
Sic etiam ille tuus quadam verſatur in aula.
Ipſus Amor foribus præſidet, ipſa Venus.
Oſcula dum carpit, dum lactea pectora tangit,
Veſtibulum regni gaudet adire ſui.
Arx torus eſt, regina tori pulcherrima virgo
Concutit inſigni ſceptra verenda manu.
Huc quoque dum tendit, mores non deſerit aulæ,
Seque ſuæ dominæ projicit ante pedes.
Cætera confundit thalamus, votumque, preceſque,
Quæque parum fortis ſæpe puella timet.
Quæq; modeſtus amans trepidanti adjurat amicæ,
Et teneræ illecebras virginitatis habent.
Donec jura ſui pariter, ſceptrique, torique
Dulcis adulanti tradit amica viro.

Digitized by Google

ELEGIA XIII.

Ad CORNELIVM GROTIVM,

Ex Germania in Sueciam diſcedentem.

EXtremum Boream viſurus, candide Groti,
Tam gelidam propera lentius ire viam.
Invenies nullas illo ſub ſidere Muſas:
Non illic Helicon: non Heliconis aquæ.
Illic nec valles, nec amica eſt vallibus umbra,
Quæq; premat doctum digna corona caput.
Non Veneris myrtus, non Phœbi naſcitur arbor.
Perſtringunt ſteriles frigida ſaxa Noti.
Quo ruis, aut quo te terrarum ſponte relegas?
Non tibi, Corneli, convenit iſte locus.
Ingenium patriæ debes, cæloq; Batavo.
Redde precor patriæ, quod dedit illa tibi.
Illic magnanimi cernes veſtigia patris.
Quæ fuerit pueri gloria, quanta viri.
Inclyta virtutis ſummæ monumenta ſuperſunt:
Famaq; cum domino non ſimul acta rea eſt.
Exilium patria eſt, quod non eſt Grotius illic.
Scilicet hoc ingens nomine crimen habet.
Non minus invidiam Corneli diſce mereri,
Et tanti heredem nominis eſſe proba:
Nec tamen egelida tibi veſtiganda ſub Vrſa,
In patria melius provenit illa tibi.
Quin & nunc patruus ſupereſt, & avunculus illic,
Et viridi ſenio conſpiciendus avus.
Et frater, primis cui laudem Voſſius annis
Quærit, & ad famam duxque, comeſq; præit.
Sed, puto, prævaluit, mentemque injuria tangit.
Gallia quid fecit tam bona terra mali?
Si tibi non fuerat ſpecioſa Lutetia tanti,
Maximus at tanti debuit eſſe pater.
Ille ſuos gnato titulos, & nomina ſervat.
Dignius auſpicium non aliunde feres.

Digitized by Google

Heic quoque nobiſcum cernes habitare Camænas.
Heic quoque, ſed parce, Caſtalis unda fluit.
Fabricius ſummos latices guſtare laborat,
Et bibit ad ripam, vix tamen inde bibit.
Si meruit quondam (nam tu meruiſſe fateris)
Amplexum magni dignus adire patris:
Si fuit in teneris, aut viſum eſt verſibus eſſe,
Cui tacita poſſes dicere voce, placet:
Hoc ſaltem ſubſiſte loco precor. Exul abire
Si cupis, exilium mitius illud erit.

VINC.

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII

SILVARVM

LIBER VNVS.

Digitized by Google

Illuſtri, & Incomparabili Viro

DANIELI HEINSIO,

Equiti, Conſiliario, & Hiſtoriographo Regio.

S. D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

EXhibemus heic Tibi denuo, Vir maxime, eas lacrimas, quas olim manibus Divæ Rutgerſiæ, incomparabilis Conjugis Tuæ, ſine pompa, ſine affectatione ulla libavimus. Quæ abjectæ ſane, & contemnendæ videri poterant, niſi Tu eas inuſitato præconio æternitati conſecraſſes. Memini ſane, toto illo tempore, quo acerbiſſimo caſu proſtratus, morboq; ex mœrore cõtracto, ingentem metum nobis omnibus incuteres, nihil Te niſi verſiculos iſtos, quos memoria tenebas, accedentibus officii cauſſa amicis recitaſſe. Nec metuo ne aliquid fortaſſis elatius dixiſſe videar. Equidem pro me reſpondebunt viri ampliſſimi amici Tui, qui tot honeſtis vocibus, ſcriptiſque Epiſtolis effecerunt, ut quamvis multum luctui tuo decederet; majus tamen gloriæ incrementum ipſe auferrem. Quod ſi tamen ambitioſum me eſſe cogunt malevoli: ſim ſane.

Καὶ φημὶ δρᾶσαι, κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή, *ut Tuus ait Sophocles. Id ſaltem conſtare omnibus cupio, ſi qua in re vel ingenio, vel eruditione valeo,*

quam-

quamvis exiguum id ſit, omne me tamen Tibi habere acceptum. Tuis enim laudibus creſcens, illaque maſcula, & forti oratione Tua erectus ad aliquam ſpem famæ incalui. Acceſſit conſuetudo pene domeſtica, & ſacra hoſpitalis menſæ. Neque enim ſine ſumma animi voluptate recordor jucundiſſimos illos inter epulas Tuas, natos ſermones: honeſtas illas ſententias, quibus me tanquam igne quodam accenſum, & ardentem ſemper dimittis. Quid nunc jocos facetiaſque commemorem: quoties ſcilicet τῆς μελαίνης μητρὸς ἔυζωρον μέθυ curarum, ſtudiorumq; inducias ſuadet. Quarum rerum ſola memoria, diſtractus à Te, & cum fortuna pariter, atque invidia conflictatus, hactenus animum ſuſtentavi. Quemadmodum enim ferrum vi ignis primo laxatum, mox frigidæ immiſſum denſatur: ita ſane ſenſi impetum ingenioli noſtri Tuis encomiis provectum, cum poſtea in invidiam incidiſſet, ſolidum demum robur ſumpſiſſe. Sed iſta huc fortaſſe non pertinebant. Dum tamen agnoſcas affectum meum, Vir illuſtris, quidvis de me ſentito. Porro librum hunc jure Tuo Tibi deberi cuilibet manifeſtum eſt, qui quidem non ignorat, quas tu mihi ad ſtudia præclara faces prætuleris. Quamvis autem ſuperiora omnia ad te pertinerent, quia me primis Muſarũ amoribus inſueviſti: iſte tamen liber potiſſimum ad te ibat, vel quod, ut inter mea, argumenti gravitate eximius eſſet: vel quod ex eo maxime loco famam ſperaret, unde carmen, quod in fronte legitur, fiduciam immortalitatis pridem adſumpſerat.

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII SILVARVM LIBER VNVS.

In Obitum ERMGARDIS RVTGERSIÆ DAN. HEINSII Vxoris.

Parcarum crimen ſuperis, injuſtaq; fata
Exprobrare juvat. tandem patientia tāta
Perdoluit, creſcenſque animos injuria vicit.
Publica damna queror. mundus plangoribus iſtis
Læditur & quantum lacrimis in funere magno
Heinſius indulget, toti deciditur orbi,
Poſteritaſque ſibi præreptum ſera queretur.
Scilicet ejectis ſævo mærore Camænis
Heinſius in fletus tranſit, pectuſque ſacratum
Æternis ſtudiis, ſtudiorum oblitus, & expers,
Ingenti rumpit gemitu. collabitur ardor,
Et triſti torpore jacet. nec priſtinus ignis
Excitat excelſos animos. quoque omnia fregit,
Quo cælum invaſit, quo ſecula mille meretur,
Excidit è manibus calamus. mens ardua nuper,
Nuper ſublimis, ac pulchræ conſcia famæ
In luctus nunc una vacat. ſedet ipſe, rogoque
Conjugis extinctæ mæſtis complexibus hæret,
Compoſitoſque lavat cineres. Sed pectore vivit;
Heic mores, vultuſque ſuos Rutgerſia ſervat,
Multa movens, variaq; excantat imagine mentem.
Qualis in Æmoniis bis raptam montibus Orpheus
Luxerat Eurydicen, cum vaſta voce reſultans
Eurydicen Rhodope, Eurydicen clamore citaret;

Pone

Pone jaceret ebur; nec jam qui carminis olim
Eſſet amor;totis marceſcens ſenſibus uxor
Viveret ante oculos:Sic nunc in conjuge vultus
Heinſius, atque animos infelix fixit amator.
Iamque agitat ſecum,qualem ſe candida primo
Intulerat thalamo, cum non adſueta rubentis
Tempora velarent,& pulchram flammea frontem,
Purpureaſque genas. Mox blandæ gaudia noctis
Cogitat,amplexuſque novos, zonæque ſolutæ
Primitias verſat. Qua dici voce maritus
Cæperit,atq; pater. nunc clamat nominis hujus
Dimidium ſupereſſe ſibi.Mox ultima tangunt
Tempora mærentem.quanto pallore jacentis
Semianimos artus,& languida viderit ora.
Aruerat jam frontis honos, & blanda genarum
Purpura:non oculis idem vigor:illaq; membris
Lætitia exciderat. cum triſti merſa cubili
Deſtitui tandem vita Rutgerſia ſenſit.
Adſtitit, ægrotaſque manus effinxit amica
Ipſe manu,juſſitque animos revocare maritus,
Et facilem operare Deum. Sed quamlibet alte
Conditus, & tremulis prætendens lumina guttis,
Conſcia ſigna dolor tandem dedit. undique totus
Prorupit lacrimarum imber. Patremque ſecuta
Iam miſero cum fratre ſoror,ſuper ora parentis
Languidulæ, luctum teneris ploratibus auxit.
Donec deficiens poſtremas illa reliquit
Dilectis animis voces:Si nomina gentis
Inclita,ſi proavos didiciſſent fata vereri,
Debueram ſupereſſe diu.Non ſtirpis egemus,
Non animi.Torvæ deſpectant ſtemmata Parcæ.
Nobilitas ſub morte jacet. Si reſpicis ævum;
Sum viridi propior.rapimur melioribus annis.
Sed ſatis eſt,vixiſſe parum. Sine labe tenemus
Quicquid id eſt vitæ. Non obſtat fama pudori
Decolor.Innocuo candore extenditur ætas,
Quam ſpoliant annis ſuperi.Nec Numina culpo.
Quicquid in hac pulchrum potuit contingere vita,

Contigit. Ingentes animi fratriſque, virique
Sufficiunt famæ. Conſuevit regibus ille,
Et quondam Arctoum decuit, dum vixit, Achillem
Ad Batavos hoc teſte loqui. Succeſſibus iſtis
Excuſant ſuperi funus crudele, necemque
Erepti juvenis. Nunc latum calcat olympum
Sublimis, laudeſq; ſuas Rutgerſius audit.
Cui comes inſignis ſpoliis Guſtavus opimis
Ingreditur, domitumq; Albim, Rhenumq; ſtupenti,
Hoſtilemq; Iſirum cladeſque, & funera ſceptri
Auſtriaci, raptaſq; aquilas oſtentat, & urbes.
  Sed plures titulos poſſum jactare mariti,
Si pateris. Toto tua ſunt veſtigia mundo.
Prætereo Venetos plauſus, & præmia tanta
Adriacæ gentis, inculpatumque favorem
Principis Arctoi, noſtræque inſignia terræ.
Plus eſt, quod tribuunt populi. Sic deniq; palmas
Decerpis, dum cuncta tenes, dum nomen ubique
Surgit, & à toto laurus tibi plectitur orbe.
Hunc ego conſcendi thalamum, dum fata ſinebant.
Vt caream cunctis: hoc dicar conjuge felix.
Ah quoties laſſos animos complexibus iſtis
Permulſi! quoties, poſt non mortalia magni
Ingenii monumenta, meis defeſſus in ulnis
Ardores poſuiſti illos, mentemque levaſti!
Nunc aliud ſuperi decernunt. cedimus illis.
Cedimus, ô conjux, & triſtis vertitur ordo,
Crudeleſque vices fatorum. Muneris unum
Hoc teneo, dilecte, tui CONTEMNERE MORTEM.
Dedidici trepidare, & præceptore marito
Profeci: Quantum reſtat, nunc denique fructus
Accipe cæleſtis doctrinæ. Parce querelis
Meque, tuumque animum, teneramque accendere prolem.
Non opus eſt lacrimis. Amiſſa conjuge grande
Poſteritatis habes ſolamen. pellice tanta
Offenſam nemo, conteſtor Numina, vidit,

Dum

Dum vixi. licet ambires manifeſtus amator,
Notaq; flamma foret. Nihil eſt cur cedere nolim.
Cedo bonis. heres hæc noſtri nominis eſto.
Quin ſuperant geminæ ſuaviſſima pignora prolis,
Hæc requies mærentis erunt: hæc ſæpe parenti
Effigiem matris referent. in utroque ſuperſum.
  Hinc gravidæ demum lacrimas, & ſæpe repreſſas,
Non tenuere genæ. Cum ducens pectore ab imo
Ingentem gemitum, natamq; amplexa, ſeveris
Invidiam fecit ſuperis. Ah dividor, inquit,
Dividor, ô miſeranda; nec iſtam cernere lucem
Aſpera fata ſinent, qua formoſiſſima tædas
Aſpicies, thalamoſq; tuos, inſuetaque diſces
Gaudia. nec teneram velo præcingere frontem
Ipſa parens potero. nequicquam ornata requires
Maternas fortaſſe manus. oculiq; pudici
Lætitiæ tantæ præclara teſte carebunt.
Sed ſcelus eſt pugnare Deo. Tibi candida fata
Evolvat Lacheſis. maternaque tempora vince,
Vt mores. lacrimaſque patris ſolare verendas.
Tu quoque, nate, vale. Quas preſſit avunculus olim,
Illuſtres inſiſte vias; ad maxima niti
Arduus, & famæ non degenerare paternæ.
Dicenti injecit dextram, crinemque ſolutum
Immitis ſecuit Proſerpina. Labitur illa.
Poſtremoq; virum gemitus, lacrimaſque cientem
Obruit amplexu. Diſcedens umbra piorum
Concilia ingreditur, campoſque, nemuſque patentis
Elyſii. Occurrunt trepidanti, & cuncta ſtupenti
Penelope, fidamq; trahens Alceſtida ſecum
Laodamia. locant omnes mediamque reponunt
Exſultantem animam. Circum fecunda Favoni
Aura parit flores; dulcique adſpirat odore
Narciſſus, violæque, & languentes hyacinthi:
Sacraque diviſas formoſo tegmine frondes
Explicat, & molli laurus complectitur umbra.

Digitized by Google

Ad CIVITATEM HAMBURGENSEM,

Cum ibi ageret HUGO GROTIUS.

SI licet erectos animos virtute mereri
Indigena, & quondam generoſa ſuperbia laudi eſt;
Attollas Hamburga caput, dum Grotius illud
Eligit exilium: dum cunctas præterit urbes,
Proſcribitq; orbem & contentus ſedibus iſtis
Æternos plauſus populorum, ac præmia famæ,
Virtuteſque ſuas muris felicibus infert.
Stat Tarpeja domus, adſertoreſque Camillos,
Intrepidos Paullos, bellorum fulmina jactat
Scipiadas, Fabioſque ſuos, & mille triumphos,
Et famulos reges, & adactum legibus orbem:
Quas quoque nunc ſolo ſacrorum horrore tuetur
Deditus immenſæ dominæ: patrique Tonanti
Magnanimos proceres iſta proſternit in arce.
Fluctibus injectum marmor, Thetidiſque ſuperbum
Connubium oſtentat, & claſſes Adria centum,
Seculaq; imperii, & privatis ſubdita ſceptra.
Scilicet undantem ſpatioſa Lutetia turbam,
Confuſos populos, totumq; in mænibus orbem,
Ut titulos, laudeſq; refert. Quocunque merentur
Attonitis Urbes clareſcere nomine terris;
Opponas hunc, diva, virum. Si cætera famam
Facta negant, toties jam cognita navibus Eos,
Arctoaſque undæ, nigrumque occaſibus æquor:
Grotius in laudes ſatis eſt, clariſſimus exul.
Hinc animos præſume tibi, teſtataque divos
Nil hoc nobilius cognoſci nomine jura,
Et nuſquam par ſtare caput. Non mænia tanti,
Alma parens, æquata polo, famoſaque moles
Murorum, mundique ſtupor. Majora parantur
Culmina, & aggeribus monumentum firmius iſtis,
Tutela æterni decoris, quod tempore nullo
Vincendum adſurget poſt ſecula, Grotius hoſpes.
Invidiæ ſed tanta pates. Quod quilibet optat,

Mundi

Digitized by Google

Mundi vota tenes. Dumq; omnes explicat undas
Flavus, & immenſo Tethyn complectitur alveo,
Quod Rheno exprobret tumido, vitreoq; Viſurgi,
Albis habet; cælo ac ſuperis gratiſſimus amnis.
Ipſe licet ſeptem ſolvatur in æquora portis,
Et Pharias Nilus non exeat unus in undas;
Huic decori cedat tandem; faſſuſque minorem
Eridanus noſtro vinci teſtetur ab Albi,
Nec Phaëthonteas tanti pudet eſſe quadrigas.
Aonides Muſæ. ſi non ſine numine veſtro
Procedit carmen, heic totæ adſiſtite Divæ,
Et faciles donate undas. dum laudibus iſtis
Obruimur, tantiſq; animus non ſufficit orſis.
Eſt aliquid tota Phæbum conquirere Cyrrha,
Cum recipit laudem virtus, & carmine fas eſt
Complecti, quodcunque probas. cum plurima vates
Imputat, & magnis aliquid donare canendo
Perſuadet titulis, nec ſolus inutilis adſtat.
Grotius exceſſit famam. Non teſte poëtâ
Tantus eget. Creſcant plebejæ carmine laudes.
Quos ſua defecit virtus, damnatque ſtupentis
Ingenii torpor, alieno vivere tentent.
Grotius ipſe ſui precium eſt ſibi. Mollibus annis
Gloria complexa eſt infantem, atq; ambiit ultro.
Et prope naſcenti dulci ſe federe junxit.
Præripuit virtus annos, doctrina ſenectam,
Et genius pubem. Iam laudatiſſimus ardor
Iunxerat Aonides Themidi. pariterque ſtupebat
Nobilis Haga ſonum citharæ, reſponſa tribunal.
Mox animus laudiſq; capax, & paſtus amore
Muſarum, magnis ultra virtutibus actus,
Dedignatus humum, fretus felicibus auſis
Intulerat cælo curas. Iam brachia Cancri
Octipedis nitido diſcebat quærere cælo.
Iam puer Idæus obliquam flexus in urnam
Nectare permiſtas fundebat notior undas,
Quaq; jacet verſo languens temone Bootes,
Quaq; comes Bacchi nitido conſurgit Olympo

Ampe-

Digitized by Google

Ampelus,& fractæ reparat diſcrimina vitis;
Omnia Grotiades luſtrat, terramque,polumque
Subjicit ingenio. Dumq; inconſulta juventus
Eructare merum,luſu producere noctes,
Et Venerem properare,vagæq; libidinis æſtum
Quærere,& infando gaudet diſtinguere luxu;
Grotius evectus magna per ſidera mente
Ingreditur,cernitq; Deum ſub quolibet aſtro.
Hæc ſibi laſſatus ſtudiis majoribus olim
Laxamenta dabat, viridi maturior ævo.
Vix tria luſtra puer,ſuperis mirantibus ipſis,
Egerat,& totum diſcendi exhauſerat orbem,
Terrueratq; viros. Quicquid Romana vetuſtas
Tradidit,& nunquam perituris Græcia chartis
(Credite,nam manifeſta fides) ſe pectore totum
Condiderat nondum juvenis. Complexa venuſtum
Ingenii florem formoſa Lutetia magno
Exhibuit Regi nondum lanugine picta,
Nota tamen populo Muſis felicibus ora.
Adſtitit Henricus puero, blandéq; rubentem
Regali tractare manu gaviſus,honorum
Omina præmiſit.jungenſq; ad munera laudes
Inſigni pulchram cervicem torque revinxit,
Pieridum plaudente choro. Sed patria tantum
Poſcebat civem.Plus ſcenæ debuit iſti,
Quam ſtudiis, quam mille libris. Sit magna Platoni,
Major Ariſtidæ,vel ſaltem verior exſtat
Gloria.Sed minus eſt illic.Complexus utrumque
Grotius,auſpiciis ad publica grandibus uſus,
Profecit,quantum licuit civique modeſto,
Atque Senatori,dein libertatis amanti.
Hæc laudis tunc ſumma fuit.Quod defuit unum,
Fortunam deſtruxit. Erat quod Gallia Belgis
Objiceret,Batavoq; inſultans Sequana Rheno.
Hunc quoque decurrit virtus pulcherrima Circum
Major ab ærumna.Placidas inglorius undas
Navigat,imbellique jacentia cærula ſomno
Magnanimus Tipphys. Cum toto carcere laxat

Æolus

Æolus immites fratres; jamque omnia verſant
Africus, & merſis infamis claſſibus Auſter,
Et pelagum ſibi quiſq; rapit: tunc emicat ille
Contemptor fortunæ animus, clavumq; reducit
Non rudis undarum, donec conſtantia ventos
Frangat, & invitis ſubducat carbaſa nimbis.

Ad PETRVM CVNAEVM IC.

Cum primo Lugdunum Batavorum veniſſet.

DVm mea civiles exercet cominus iras,
Æternis disjuncta odiis, teriturque, teritque,
Conſumitq; ſuas in ſe Germania vires:
Hæc placeat, Cunæe, quies, quæ candida veſtris
Donatur populis, & blanda in pace Camænas
Læta fovet, placidæq; lubentes imputat urbi,
Horribili procul à bello. Dum fortiter hoſtes
Auriaci virtus Batavis à finibus arcet,
Et late inviſum ſecernit victor Iberum;
Heic liceat ſecura meis dare tempora Muſis,
Innocuiſq; ſacris: & quas ego ſemper amavi
Gambrivios procul, & noſtrum ſemotus ad Albim,
Heinſiadæque tuaſq; ſtupere, & cernere laudes.
Illuſtres animæ, quas multum cognita virtus,
Famaque virtutis tantæ pulcherrima merces
Iunxit, & ad ſummum provexit plurima culmen
Invidiam ſupra elatas, veſtris ego, veſtris
Laudibus excitus, & tantæ numine famæ,
Quam dudum immenſo late increbreſcere mundo
Attonitus ſpecto, Belgarum in finibus adſum
Virtutum cultor tantarum. Heic terminus eſto,
Et votis ſua meta meis. Heic non ego ſortem
Depoſco mihi, Craſſe, tuam: non quicquid & Indus,
Et jactat deformis Arabs: quodq; imputat aurum
Hermus avaritiæ, vel Lydius egerit amnis;
Et quæ præterea populus miratur, & optat.
Hoc mihi ſufficiat, quod vos ego nomina tanta,
Expoſitos, facileſque coli, non turpiter audax,

Et

Et nec adulator fœdus, ſed caſtus amator
Muſarum, Phœbique, & pulchri cultor honeſti
Cominus admiror, meruique admiſſus amari.

Ad HIERONYMVM VOGLERVM, Conſ. Hamb.

SI vacat ad parvas animum ſubmittere curas,
Magne pater patriæ; ſi mens, mens æmula cæli,
Nata ſupra vulgum faſtigia quærere Divûm
Tantum habet à ſtudiis, patriæque laboribus oti:
Huc vultus, oculoſque illos, & tempora circum
Splendida formoſis nivibus, ſi forte meretur,
Ad civem deflecte tuum: placidaſque ſecures,
O nulli inviſas, quas nemo protinus odit,
Et mea conſpicuos dimitte ad carmina faſces.
Tandem etiam, lux Gambrivii, decus addite Dives,
Tandem etiam adplaudens, quantum mea carmina poſſunt,
In laudes adſurgo tuas; & fervidus inter
Erigor ardentes cives, non degener olim
Incola, nec patriæ, (faveat fortuna) pigendus.
Erigor, & tantæ virtutis nobile culmen,
Divinam mentem, quæ nunc de ſede curuli
Proſpicit, & placido diſponit ſingula nutu,
Admiror, tacituſq; precor: in ſecula vivas,
Magne ſenex, tardeq; tuos pia numina canos
Invideant patriæ: tum vox ea vivat in annos
Æmula Neſtorii mellis, qua ſcilicet omnes
Affectus populi, poſſeſſaq; pectora flectas,
Vel Laërtiades, vel noſtræ Tullius urbis.
Quam veneratur, amatque, & multa laude ſenatus
Excipit, ęgregias cui reddit Curia voces,
Præſidio generoſa tuo, laudataque in omni,
Quantum fama poteſt laudare, & nobilis orbe.
Scilicet invicto quod ſurgit patria faſtu
Hactenus, & tantas oſtentat ſplendida moles,
Immenſaſque minas murorum, æquataq; cælo
Quod ſeſe excedit, ſpatiiſque ingentibus ambit

Contractas quondam metas, quod fervida creſcit,
Dimidia parte aucta ſui, profertque ſubinde
Aggeribus fines, & mænia mænibus addit:
Id, pater, id debere tibi, & virtutibus iſtis,
Invictoque animo, qui cum feliciter urget
Ardua, ab egregiis emergit fortior auſis,
Vna voce patres patriæ, civeſque fatentur.
Quos inter membrumq; urbis, vel portio noſtræ,
Et populi pars una tui, canos, pater, illos
Rite colens, reliquis multus plaudentibus adſto,
Et voces conjungo meas cum vocibus iſtis.

Ad CLAVDIVM SALMASIVM,

De ſtupendo & admirabili caſu, qui in Hollandia tempore peſtis contigit.

MAxime Salmaſi, ſi te tua Gallia tandem
Reſtituit miti cælo, Batavæque ruinæ
Subduxit fortuna caput, dum Leida nefandis
Cladibus obruitur, vaſtamque vagata per urbem
Dira lues mortem divulgat mille figuris,
Et centum manes urna confundit in una
Ingenium crudele necis: ſi ſalvus oberras
Ante Ararim patrium, ſeu te lætiſſimus amnis
Sequana præreptum fato, ripaque ſalubri
Detinet, ut quondam, clamabo munere tanto
Compenſare nefas ſuperos, leviuſque videri
Quod Batavos preſſit dicam te ſoſpite damnum.
Hei mihi, quam fœde cœli inclementia pulchris
Mænibus incubuit! Hei quanto turbine fatum
Incidit in populos, raptamq; à ſedibus urbem
Eruit! Attonitæ, grataque à ſede revulſæ
Exceſſere Deæ. Paſſa eſt langueſcere Phœbi
Ira Deûm lauros veteres, mæſtumque Lycei
Prætendi foribus taxum. Per funera Pallas
Ingreditur, ſperatque fugam. ſed Palladis ales
Funeſtæ bubo feralis præſidet arci,

Carmi-

Carmineq; inviſo miſerum, poſt omnia genti
Dividit augurium. Nec jam Bachatur in una
Vrbe furor talis. plena diffunditur ira
Vis ſuperum. Iam mille rogis Hollandia denſat
Funera. jam totis cumulata cadavera campis
Vix recipit tellus. ſuccumbitur undiq; morti.
Nec tamen interea, dum formidanda reponit
Crudeles Libitina vices, ſcenamq; tremendam
Inſtruit, & rabido præbet ſpectacula Diti,
Dedidicit præcox ſolitum fortuna jocari,
Inſanoſve rogis aufert Venus improba ludos,
Obluctata Diis, mæſtiſq; illudere fatis
Obvia, & immiti componere triſtia riſu.
 Infelix Ægle, cum toto corpore peſtem
Proderet, invenit qui vellet amare cadaver,
Blanditiaſque ſuas, & perſuadentia verba
Inter buſta loqui. Ne tanti neſcia fati
Poſteritas ſcelus eſſe putet tacuiſſe furorem
Eximii juvenis, me tandem tradere famæ
Inſolitos ignes, ſumptoſq; ex morte calores,
Et facinus, Cytheræa, tuum, & ludibria gnati
Impulit Aonius complecti verſibus ardor.
Tu faveas perculſo, & non audita canenti
Maxime Salmaſi, ſi nondum deſiit eſſe
Fabricius quocunque loco, tantiq; penates,
Vt quondam, grato venientem poſte receptant.
Certabat Batavis Ægle formoſa puellis
Moribus, & vultu. Sed vili in plebe relictam
Fortunæ preſſabat onus: nec honoribus ullis
Conſpicuos referebat avos. ſed paupere cultu
Excludebat opes, centumq; in corpore dotes
Servitio, & triſti famulandi ſorte premebat.
Non oculos tamen effugit, laudemque juventæ
Ille decor formæ. paupertatique puſillus
Intervenit Amor. Non ulla fidelius ardet
Fæta opibus, faſtuq; ſuo, licet undique collo
Illudant gemmæ, rutiletq; in veſtibus aurum,
Et moveat tenerum laſciva ſuperbia corpus

Mille

Digitized by Google

Mille modis, fiatque gradu manifeſta libido.
Egregius Coridon, & Thyrſis viderat Æglen.
Thyrſidis ardori facilis conceſſerat Ægle,
Et votis.movet oris honos, & vividus ævi
Sanguis, & inſigni volitans à fronte venuſta
Cæſaries, florenſque nova lanugine mentum.
Ille quidem ambibat magnis ardoribus Æglen
Fidus amans, totoque undabat pectore flamma.
Nec leviter redamat, rudibuſve caloribus illa
Reſpondet juveni. Sed quo conſpectius ambos
Vreret, immani documento explorat utrumque,
Conjungitque illum feralibus ignibus ignem
Immitis Lacheſis. Teneris contagia membris
Dividit, & toto extendit ſe corpore peſtis,
Affligitq; Æglen. arent fervoribus ora,
Quique rubor teneras formoſo flore puellæ
Tinxerat ante genas, atroces ducere flammas
Incipit. acceptum venæ ſenſere venenum.
Irrequieta tenent lethales corda calores,
Pertentantque caput. Totam juraveris Ætnam
Invaſiſſe artus. Steropen tractare cerebrum,
Forcipeq; immani præcordia vertere Bronten.
Iamq; ejecta domo ſecreto ſecubat horto
Non ſemel infelix. & morbo triſtior omni
Illa fuga eſt. cingit miſeram mæſtiſſimus horror
Vaſtitieſq; loci. tabi, fatiſque relicta
Nequiquam comites, dominamq; inclamat, & alta
Poſcens voce Deos, averſos ſenſit utroſque,
Et precibus ſurdos. Pavitant ad juſſa miniſtræ,
Languentemque procul ſpectant. Sic forte viator
Funeſtum Triviæ ſacrum cum conſpicit, horret,
Divertitque viam. rapido ſic fulmine læſum
Horrificat mentes, devitaturque bidental.
Thyrſis adeſt, ânimumq; in mille pericula durat,
Fortis, & infeſtis queritur convitia Parcis,
Teſtaturq; Deos: ſi pænas ſumere certum eſt,
Sufficio in pænas. dilectis parcite membris,
Inque virum transferte iras, fatiſque malignis

Hoc

Hoc mactate caput. Summa mercede puellam
Compenſare juvat, & vitam morte paciſci.
Talia jactantem quantumvis languida virgo
Increpat, & damnat votum juvenile, preceſque
Opponit precibus. Pallenti brachia collo
Induit, attrectatque lubens morientia membra
Thyrſis, & avelli negat imperterritus illis.
Nec timet ille luem: ſed baſia mixta veneno
Sumit, lethalemq; animam trahit oſcula libans,
Confunditque ſua. Tangit pia dextera virus,
Et meditatur opem, flagrantiaque ulcera mollit,
Effingitq; manu Venus ipſa jacente puella
Suſcitat ardorem, mediiſque ex ignibus ignes:
Præcipitat, morbique incendia miſcet amori.
Sentit amans juvenis gliſcentem pectore flammam,
Permittitque ſibi poſtrema auferre puellæ
Gaudia, præſentiſque ardens diſcrimina lethi
Amplexu bene credit emi. moderatius Hero
Iactet amatorem. quantumvis æquore vaſto
Suſtinuit tentare viam, jactanſque profundis
Fluctibus, & trepidæ portendens brachia amicæ
Oſcula Leander tanta mercede redemit.
Thyrſis amans famam cæpti majoris habebit,
Donec erit teneris petulantia grata puellis,
Et ſine fronte Venus, juveneſque audere parati
Vim placidam, & lecto confundere vota calenti.
Ægle paſſa virum, tepidis amplexibus æſtum
Digerit, & morbo nondum defuncta venuſtum
Diſcit opus. facilis Clotho miſerata puellam
Suſtinuit fuſum. triſtes Venus ipſa ſorores
Exorat complere colos, repetitaque penſis
Nectere penſa novis. Vidit ridere coactam
Thyrſis, & inviſas luſu tranſmittere febres.
Ipſa favet morbo, & mavult ægrota videri
Parcarum ſecura, necemque evincit amando,
Grataturq; ſibi, cupidiſque incincta lacertis
Thyrſidis, infandos ſentit ceſſare calores,
Et ſic ſanari jactat debere puellas:

Digitized by Google

Feralemq; luem, quam non lenire Machaon
Ipſe, nec innumeras miſcens Epidaurius herbas
Poſſit, in amplexu juvenis miteſcere jurat.
Sic nos Eurydicen vitam ſumpſiſſe priorem
Credimus, & blanda victam dulcedine tabem
Complexu ceſſiſſe viri: quam pectine ſacro
Inſtructum, faciliq; lyra penetralibus orci
Fama eſt, Elyſioq; auſum ſuccedere luco.
Nec ſatis eſt Æglen mæſto conſurgere lecto
Munere feſtivi juvenis, lepidoque refectam
Officio Veneris. geminant miracula Parcæ:
Thyrſin Dî tutantur. Habet quod Belgica mundo
Oſtentet, ſeros jubeatque ſtupere nepotes.
Et nunc ille ſuam tutis amplexibus Æglen
Detinet. ipſa faces præfert, optataque fronti
Flammea prætendi patitur, Geniumq; calentem
Provocat, & ſublimi Hymenæum voce laceſſit.
Alma Venus, comiteſq; Deæ, formoſaq; proles,
Exiguo cum fratre Iovis nubentibus adſtant
Spectatumque Deos cælo deſcendere cogunt,
Attonitos monſtris audacibus. Emicat inter
Plaudentes juvenes generoſo vertice Thyrſis,
Conſcius ingentis cæpti, dextraque rubentem
Pulchrius, oblitamque mali deducit amicam.
Tiſiphone procul infauſtis evincta colubris,
Invidiæ manifeſta ſedet, pectuſque dolore
Rumpit, & inſana vellens à fronte Ceraſtas
Inquinat horrendo feralia pectora tabo,
Sanguineamq; vomit ſaniem. Sed pronuba Cypris
Indomitam, & fruſtra jactantem à vertice virus
Corripit, & rabidam cæco demittit averno.
Ferte roſas juvenes, & ſpargite floribus Æglen:
Thyrſin formoſæ myrto decorate puellæ,
Innexique manus feſtæ ſolemnia lucis
Inſtaurate choris, & blando ducite cantu.
Me ſi fata volent melioribus ire per altam
Auſpiciis Cyrrham, Muſiſque faventibus uti,
Et Genio, forſan famam ſperare jubebo

Thyr-

Digitized by Google

Thyrſin, & æternis dicetur verſibus Ægle.
Interea quanto diſponant ordine fata,
Salmaſi, ſuperos mecum mirare potentes.
Sic lætas tibi fata vices, immotaque dohent
Gaudia, & æternis æquent cum laudibus annos.

Ad FRIDERICVM LINDENBROGIVM. IC.

SI placet audendi, Vir maxime, nobilis ardor.
Cum ſeſe excedit, faſtiditq; ignea vulgum
Vis animi, ſtimuloſq; ſibi ferventior addit,
Pulchræ laudis amore calens, imitataq; cælum
Inclita, conari quiddam excellentius audet:
Sis facilis, mitiſque mihi. Sublimior ibo,
Si laudis mihi pandis iter, tacitoque favore
Erigis, & capiti, quæ nunc eſt, detrahis umbram.
Scilicet. eſt aliquid ſtolidum contemnere vulgus,
Et multum placuiſſe tibi, te judice, tanto
Privatam ſperare olim decerpere laurum.
Et aliquid ducibus vobis, ô lumina mundi,
Vulgari non ire via, ſecernere plebem,
Non mendicatas jactare, aut vendere nugas
Doctrinæ ſtolidæ, linguæq; volubilis artes.
Te duce, Lindbrogi, quem virtus, famaque tanta
Immunem invidiæ, felicibus inſerit aſtris,
Te duce fucatas diſcam contemnere laudes,
Et ſenſim majora ſequi: quo me impetus acer,
Impulerit, tangenſq; animum generoſus Apollo
Seductum à vulgo. Seu me Romana vetuſtas
Abripiet, ſacriſque ſuis immittere mentem
Attonitam, vetereſq; Vrbis recludere ritus
O multum veneranda volet: Seu Gręcia campos.
Oſtendet ſpatioſa ſuos, capietque volentem
Porticus, & magnæ quicquid tenuiſtis Athenæ.
Seu divina Themis centum me involvere chartis,
Et ſua jura docere volet. Tu maxime tantum
Lindbrogi faveas, tacitoque laceſſere plauſu

Inge-

Digitized by Google

Ingenium, quodcunque mihi eſt, calidamque juventam
Digneris, præcaſque tuis ad maxima votis.

De cruenta expugnatione
CIVITATIS MAGDEBVRGÆ.

Magdeburga loquitur.

HOſtis habet muros, cives: fortuna receſſit.
Quo ruitis miſeri? Nihil eſt. via nulla ſaluti eſt.
Frangimur, & totos oſtendunt prælia Divos
Hoſtiles agitare manus. Cedamus amici,
Cedamus ſuperis. &, dum non arma poteſtis,
Exitio noſtro lacrimas date. Scilicet omnem
Eruere hanc gentem, & ſuprema abſumere clade
Cælicolis placuit. Non defenſoribus armis
Tempus eget. media dominatur Cæſar in urbe,
Irataſque aquilas, & victis triſte minantes
Circumagit, totaſque incenſis mænibus infert.
Quin miſeri cives, quin tantæ ceditis iræ;
Sat fidei, nobiſq; datum. quin ponitis arma
Victori ſubmiſſa, & vel nunc denique mentes
Tentatis mollire feras. quid ad arma reditis
Nequiquam, & tantum morituri invaditis hoſtem?
Hei mihi, quantus adeſt infeſtis ignibus hoſtis!
Hei mihi, quam ſubitas volvunt incendia flammas!
Vt furit immiſſis, ut ſpargitur æſtus habenis,
Iamque domos, jam templa haurit! ſi cætera abibunt,
Quid ſuperi meruere? ſacris abſiſtite tectis.
Sufficiat, ſi cuncta ardent. defendite ab aris
Sacrilegos nunc demum ignes. Proh quãta per urbem
Exoritur cædes! Conjurant flammaque, & hoſtis,
Vt non ſimpliciter peream. Proh quantus inundat
Hinc atq; inde cruor! Video puero ſque, puellaſque
Alterum in alterius lapſantes ſanguine. Sed pars
Maxima in igne perit. O plus quam fortia corda,
Egregii cives, quando ultima cernitis, ite:

Ite, explete animos, mediamque irrumpite turbam:
Atque aliqua infandæ ſolatia quærite cladi,
Et cineri veſtrorum. Hei quo procéditis hoſtes?
Quo tandem vacat eſſe feris? An parvula turba,
Inſontes pueri, cædis, tantique furoris
Materies feralis erunt? an denique perget
Ad cunas rabies? nulla eſt cui parcitur ætas?
Vſſerunt Grajæ Neptunia Pergama flammæ,
Et meritas ſceleris pœnas, turpiſque rapinæ
Supplicium Troja expendit, ceciditque ſuperba
Vltori ſpolium Atridæ. Sed parcere tandem,
Irarumque modum potuit decernere victor,
Contentus periiſſe viros: nec viſus in urbe
Fœmineus cruor, aut pueri de vulnere ſanguis.
Vna ego quid merui? quod noſtrum eſt denique cri-
Cujus convincor ſceleris ſæviſſime? Sed fac, (men?
Fac recte periiſſe, & juſtas pendere pœnas:
Quid timidæ matres tandem, pavidæque puellæ,
Quid pueri potuere, & plus quam innoxia turba
Infantes. Pereunt alternis mortibus omnes:
Albi pater, pater Albi, hæc qui nunc rudera lambis,
Et cineres, ubi tanta fui: tu jam excipe cives,
Queiſque hoſtis terram negat, in mare corpora volve.
Proh quam te noſtras ignorans cærula clades
Horrebit tanto venientem Tethys acervo;
Nec ſolitas rapientem undas; nec vertice flavo
Inſignem, ut ſemper: ſed triſti à cæde meorum
Deformem, & multo fædatum flumina tabo.
At tu, qui noſtris inſultas ſæve ruinis
Victor, & ex tanta nihil urbe relinquere tentas,
Subſiſte, & ſumptos placide depone tumores.
Libertas mihi tota mea eſt. Quid, vane, ſuperbis.
Rudera ſola tenes, disjectaque ſaxa domorum
Quæ ſuperant, tua ſunt. Nec longum, ſi licet unquam
Vltores ſperare Deos. Hæc diruta tecta,
Et lapides ſervire doce. Dum cætera deſunt,
Huic aulæ dominare ingens: hucuſque furori
Audaci licet eſſe tuo. Concedimus ultro,

Quas

Quas perquiris opes. Facilis jactura bonorum eſt:
Ipſa ego non capior. Eſt quæ ſibi libertatem
Exitio bene credat emi; vitamque ſuorum
Inclita non dubitet tanta pro laude paciſci.

Ad DANIELEM HEINSIVM.

Cum Lugdunum Batavorum veniſſet.

PHæbe pater, Muſæque,& quicquid magna Deorum
Lugdunum veneratur, habetque in ſedibus illis,
O multum ſalvete mihi, ſi numina fas eſt
Mortali ſalvere, & ſi ſalvere Deorum eſt.
Quærimus hoſpitium. date in iſta ſede morari
Dî Batavi, & veſtris merear ſuccedere tectis
Advena, propitiaſque mihi, multumque faventes
Experiar caſtas, tua numina, Leida, Camænas.
Scilicet eſt tanti patriamque, meoſque penates
Deſerere, Arctoumq; Albim, qui mille per urbes,
Et populos, noſtra deductus origine, volvit
Vim flavam undarum: ſceptrique ſuperbior hæres
Famoſis pariter Rheno ſuccedit, & Iſtro.
Eſt tanti turreſque tuas, æquataque cælo
Mænia, ſurgenteſq; minas, & ad æthera ductas,
Inclita Gambrivium, tantaſq; relinquere moles,
Mutatas meliore loco; dum veſtra ſtupere
Lumina, facundiq; licet ſacra ora tueri
Heinſiadæ, ô Batavi, & voces haurire diſertas.
Heinſius eſt tanti, propter quem ſaxa Cyclopum,
Et Scyllæ rabiem, formidatamque Charybdim,
Et cæcas auſim Sirenum accedere rupes
Impavidus, peragremq; tuo, miſerande Prometheu,
Supplicio infames ſcopulos, vel quæ loca Tigris
Impiger, & plus quam famoſus carmine Hydaſpes
Immenſis lambit inculta, & dividit undis.
O quis erit, qui me centum felicibus alis
Subvectum, plebemq; iſtam poſt terga videntem
Aonio ſiſtat monti, caſtiſque fluentis

Immergat cupidum,& ſublimi carmine donet
Heinſiaden cantare mihi,tot dotibus auctum
Vndique in exemplum pulchris. ſeu lætus amator
Formoſæ infuſus Roſſæ, florentibus annis,
Phœbo non indigna canit, ſéclisque futuris
Ipſe ſuos lepidis tranſcribit verſibus ignes.
Seu cum facundo ſtupefactas fulmine mentes
Attonat,evectuſq; tibi concurrere,Tulli,
Audet, & ambiguam palmam facit, aut facit æquam.
Sive tot egregiis ſordes,maculaſque poëtis
Abſtergit,primuſq; docet,quid carmine in iſto,
Quod lepidus patria vates cantabat in Aſcra,
Arcanæ lateat Sophiæ,quantum Venuſinis
Abſtruſum ſalibus; quæq; hactenus omnibus una,
Nec de plebe viris, obſedit opinio mentem,
Tollit,& inflatum jugulat poſt omnia Nonnum.
Seu cum Cecropii irrumpit ſecreta Lycei,
Socraticumque larem, & quodcunque à plebe remo-
tum
Porticus edocuit rigidos antiqua magiſtros:
Virtutiſque præit cunctis iter,inviſamque
Præcipit(ô divinum animum!)contemnere mortem.
Sive viros,& ſigna refert, Martemq; Batavum,
Et debellatas Belgarum viribus urbes,
Ejectumq; hoſtem, & victricia Principis arma
Auriaci,claroſque Duces dextraque,fideque,
Victura æternis commendat nomina chartis.
Eximium ardorem!Nec enim certamine ab uno
Sat laudis retuliſſe putat: verum undique palmas,
Et quot ſufficiant multis,feliciter unus
Colligit,& toto jactat ſua robora Circo
Inclitus,haud una præcinctus tempora lauru.
Hunc mihi nunc Batavi,priſcæ gens æmula Romæ,
Germanis vicina meis, ſed nec minor illis,
Exhibet, & noſtro facilis permittit amori.
Et mihi nunc(illuc vadunt mea vota, nec ultra)
A vultu pendere viri licet,atque fruiſci
O dudum dilecta anima.Nihil additur illis.

Suffi-

Digitized by Google

Sufficiat. Dimitto Deos, laſſataque votis
Numina ſæpe meis. Teneo, quam quærimus, urbem,
Seque lubens noſtro totam Batavia mater
Imputat ardori: &, qui multo eſt amplior illa,
Heinſius ignoſcit, cupidumq; admittit amantem.

Ad CIVITATEM LEIDENSEM.

Pro Oratione, de obſidione & liberatione ejuſdem Urbis Anno 1632. 4. Octob. à ſe habita.

INclita Lugdunum, cujus devinctus amore
Cunctatur, revocatque pedem, ſenſimque propinqua
Dedidicit blandus miſceri Doride Rhenus:
O Dea, quam virtus, & tantarum ærumnarum
Gloria non ſimplex, totieſque repulſus Iberis
Diis miſcet ſuperis, & dat conſidere cælo:
O ſalve formoſa mihi, non victa tot armis,
Vt ſemel intumuit virtus, & prodiga lucis
Frangere fortunam, tantiſq; laboribus arſit
Spes Batavas audax, libertatemque tueri,
Et fatis aperire vias. O terror Iberi,
Heſperiæ ſcopulus! quàm plenis viribus acer
Hoſtis, & indocilis vinci, madiduſque cruore
Belgarum, totiſq; exſpirans vultibus iras,
Diruere aggreſſus infeſta ſub arma coactam,
Vimque, animoſq; tuos didicit. ceu turbine rupto,
Cum Notus Æolio dimitti carcere ſperat,
Iamque hyemes, nimboſque, & nubila protenus armat
Indomitus, raptatque ſuis jam cærula votis;
Si forte oppoſuit poſtes, & ſaxa furenti
Rex tempeſtatum, fractus langueſcere ſenſim,
Compreſſuſque mori paullatim cogitur ardor.
Hinc libertatis nomen, pulcherque revixit
Impetus; hinc cunctis ejectus finibus hoſtis.
Iamq; magis gladio Batavus deſcendere toto

Digitized by Google

In jugulum Heſperiæ cæpit; avertere gazas
Immenſas, dominaſque Orienti immittere claſſes:
Et qua ſudantes Sol abluit amne caballos,
Virtutem proferre ſuam. Tot fortibus auſis,
O nullis evicta malis, tot fortibus auſis
Principium tu ſola, atque omen, Diva, dediſti.
Sed quantæ fuerint vires; quot ſtrinxerit enſes
Dirus Iber: turpeſque metus: ut ceſſerit omnis
Obſequiis natura tuis: ut cuſpide mota
Neptunus pelagique fidem, ſolitoſque meatus
Ruperit, iratas immittens hoſtibus undas:
Omnia deinde canam, cum me creſcentibus annis
Provehet, atque animum major diffundet Apollo.
Adjungam illuſtres mentes, tot nomina nota;
Heinſiadæ ardorem, vectamque ad ſidera famam:
Cunæumque meum, quem ſummis dotibus auctum
Nunc fovet alma Themis: tum, qui nunc rectius illis
Acceſſit, toto clarus Scriverius orbe:
Et quos præterea donaſti, ô inclita, mundo,
Iunxiſtique mihi. Nunc tantis laudibus impar,
Incipio ſenſim magnis præludere cæptis.
Tu faveas, ô Diva, &, queis nunc leniter undis
Spargeris, hinc toto perfundi flumine ſpera.

Ad MARCVM ZVERIVM BOXHORNIVM.

De utriuſque natali, qui in annum eundem, & diem incidit.

EMenſus fulvi flagrantia terga Leonis
Æſtivam rabiem manſueto virginis aſtro
Temperat ætherius Titan. Doctiſſime Zueri,
(Si tamen abſentis cura eſt meminiſſe ſodalis,
Nec toti excidimus) fundamus mollia vina
Natali Genio, qui nos conjunxit eodem
Sidere naſcentes. Quantumvis largius illud,
Marce, tuo capiti ſuperaſtitit, indulſitque
Vberius lumen; Dum me declivior afflet,

Digitized by Google

Et leviter radius vix ſummo fulgure ſtringat.
Sic nos,cum vernus quondam deſcenderet imber,
Vidimus immaduiſſe agros, gaudente colono,
Felici pluvia:pariter vicina malignis
Adſpergi pluviis, parciſque novalia guttis.
Fundamus Genio: fundamus & altera Parcis,
Hæ mea fatali cum nectere ſtamina fuſo
Ingreſſæ,rudibus torquerent licia telis;
Et tibi,materia ſed de candente,cucurrit
Nobilius, Zueri,penſum. Sic tempore junctos,
Atq; annis,precio placuit diſcernere fili.
Hinc eſt , quod primo fortunam ordiris ab ævo,
Et vix dum tenera malas lanugine pingens
Auſpicium ſequeris famæ; traheriſque,rapiſque,
Ingentemque animum magnis ſucceſſibus æquas,
Interdum ſuperas.Dum nos poſt terga relicti
Fatorum invidiam querimur. tardeque movetur
Impetus,& timidis languens conatibus ardor
Deficit in curſu. Ceu littore ſæpius uno
Deſcendunt geminæ puppes, pariterque rudentes
Excutiunt,pariter remis propiora laceſſunt
Æquora;diſſimili fato.Dum fortiter illa
Fluctibus indomitis nequiquam averſa,ferentes
Explorat zephyros velis,portuque potitur
Iam pelagi ſecura prior. lentatur in undis
Altera,degeneremque trahit gravis unda carinam:
Sæpe etiam mergit. Vel eodem pulvere Circi,
Carceribus currus cum præcipitantur ab iiſdem,
Admiſſique ruunt pariter.volat alter, & addit,
Diffunditque feris,ſpargitque undantia lora,
Ferventique rota metam tranſitque,cavetque.
Alter deſtituens frenum,temone revulſo,
Hæret,& in media excuſſus ſpem fallit arena.
Hanc mihi naſcendi ſortem cum fata dediſſent,
Non ſpes ingenii puerum, non indolis ardor
Eripuit plebi. Non pondera divitis auri,
Non celebres utroque atavi de ſanguine ducti
Addiderant faſtum.Sed opum,ſed ſtirpis egentis

Digitized by Google

Quod potuit, ſolos animos fortuna reliquit,
Indomitos, laudiq; pares niſi fata negaſſent
Liberius cælum, & pubente ætate magiſtros
Vt decuit, ſimileſque tuis; quos mollibus annis
Indulſit fortuna loci, ſuperique faventes,
Et magnæ virtutis avus. Qui vix pede primo
Conantem greſſus, & adhuc materna petentem
Vbera, ſollicitans felicia ſemina mentis
Virtuti adſeruit primæ, famæque capacem
Fecit, & ingenio teneras circumdedit alas.
Tale rudimentum, Zueri, creſcentibus annis
Leida auxit, facileſq; Deæ, quas lenibus umbris
Iucundæ tiliæ, formoſaque detinet unda
Pegaſeis potior; poſtquam Parnaſſia rupes
Viluit. Aoniuſque latex, & Caſtalis aret.
Heic te materiem laudis, virtutis amorem,
Sacraq; Muſarum, nulli tangenda profano,
Intonſus docuit ſub qualibet arbore Phœbus.
Iamq; puer famæ manceps, adſueſcere magnis,
Quos Batavi mundo jactant, Heroibus auſus,
Seu generoſa ingens obverteret Heinſius ora,
Manſuetuſq; ſenex platano Scriverius ampla
Suppoſitus, lepido deduceret ordine Muſas;
Quolibet occurſu ſtudio incrementa dediſti,
Ingenio ſtimulos. Sic præceptore parente
Magnanimus tiro Pyrrhus, nutritus in armis,
Ardorem adſumpſit, quoties occurreret Ajax,
Aut aliquis Sthenelus, quaſq; olim effudit in hoſtes,
Hauſerat ex ipſis Tydidæ vultibus iras.
Auſpiciis tantis ingreſſus candida famæ
Omina, quod supereſt vitæ ſperabis, amice,
Fortuna tranſire pari. Quod Apollo Batavus
Et Lugdunenſis Pallas tutela Lycei
Annuat. Ipſa tibi trabeam, plauſumque juventæ
Ambiit, ipſa ſuas veſtigia fecit ad arces.
At mihi florentes inſcitia diſtulit annos,
Abjectuſque labor, præceptorumque meorum
Fatalis ſtupor, & veſana libido docendi

Quiſ-

Digitized by Google

Quiſquilias. Iacuit, quantum fuit indolis altæ,
Oppreſſum tenebris, immortaliq; veterno
Defecit. cecidere animi, languorq; malignus
Forſitan auſuræ preſſit primordia mentis.
Sic ego ludibrium fati, ter quinque per annos
In pœnam vixi. Donec mea vincula rupi;
Evicitq; dolor tandem ſecernere vulgum:
Meque mihi adſerui: devitatoque viarum
Limite plebejo, Cyrrham tentare patentem
Præſumpſi, & doctas clam ſollicitare Camænas,
Sepoſitus fidis laribus, teneriſque libellis
Elicere, & tacito Phœbum concludere tecto.
At veluti, qui ſe prædoni forte viator
Eripuit, celerique fuga vicina petivit
Camporum ſecreta, metuq; paventia membra
Abdidit in ſilvas, animo redeunte, ſalutem
Molitur quacunque via. ſed devius error
Suſpendit trepidum; tenebriſq; exterritus ipſe,
Et triviis centum, quo pergat tramite neſcit,
Conſumitq; metus primos majora timendo.
Sic juveni, ſtudiiſque vago, dumq; omnia tento,
Incubuit gravior ferme fortuna, ratemque
Im[illegible]ellem, pelagique rudem, ſine remigis uſu,
Et viduam clavo, nec ſidera certa notantem
Expoſuit ventis, & vaſtis intulit undis.
Exiguum eſt, Zueri, quod viximus, undique ſævis
Raptati fatis. Vnum eſt, quod numina magna
Excuſare queat, Batavos vidiſſe, tuique
In partem veniſſe boni. Nec diſtulit ingens
Heinſius amplexum. ſubitoq; adſueſcere famæ
Iuſſit & audaci Muſa tentare Merillam,
Ardoremq; animi, ſi quis ſupereſſet, amando
Exerere, innocuoq; laceſſere carmine Cyprin.
Nec tuus ingreſſo primos Scriverius ignes
Defuit. ille manu placida, mitique loquela
Suſtinuit timidum: nec adhuc bene nota tenentem
Sacra manu. Non Cunæi notiſſima virtus,
Non tuba Barlæi, Non blandi Voſſius oris

Abnuerant junxiſſe manus, geniumque calentem,
Audentemque aliquid magnus Salmaſius auxit
Æternis monitis. Produxit denique totum,
Exhibuitque ſuæ prudens Hugenius Hagæ.
  Iamque aliquo poteram famam ſperare videri,
Carmine. Prævertit ſidus, quod preſſerat ante
Naſcentem, fatumque annos extendit in omnes:
Et me præripuit Muſis, mentemque moleſtæ
Implicuit curæ: fruticeſque, herbaſque legentem
Compulit immanem morborum ediſcere cenſum.
Hæc tamen abjeci tandem pertæſus, & almam
Complexus Themidem, trepidantia vota novavi
Serus, & inſtabilem defixi hoc limite ſortem.
Nec ſatis hac fortuna fuit de parte ſevera:
Exilium acceſſit. Poſtremam ejectus ad Arcton,
Igniculos cæli veſtratis frigore tanto
Conſumpſi, totoque excuſſi pectore Phœbum.
Nunc demum patrium ſedeo illaudatus ad Albim,
Immerſus titulis legum; ſterilique papyro
Immoriens, præſumo fori convitia mente,
Et miſeras meditor lites, queis deinde tribunal
Perſonet, atque inviſa reis ſubſellia plaudant.
  Hæc inter Genio diffundo debita vina
Luce mea, pariterque tua. Speroque ſecundos
Poſtmodo ſucceſſus fatorum, & mitius aſtrum.

KIN-

VINCENTII FABRICII

MISCELLANEORVM LIBER VNVS.

Digitized by Google

Ampliſſimo & Celeberrimo Viro

IOANNI BEVERO-VVICIO,

Medico,

Vrbis Dordracenæ Senatori.

S. D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

ARbitror ingenui candoris eſſe, Vir Ampliſſime, memoriam amicitiæ, quam ante annos quinque contraximus, publice profiteri. Me quidem, cum amoris Tui initia cogito, nulla res oblectat vehementius. Nam quod in tanta dignitate conſtitutus, hominem ingenio nullo, nullis fortunis eximium, ignotum, nec viſum unquã, abſentem quoque, tanta ſubito benevolentia obrueres, quanta eſſe ſolet, quæ maxima eſt: ea fortaſſe humanitatis tuæ laus erit. Quod tamen conſtanter illum in me animum retines: non niſi judicium, & juſti conſilii ratio videbitur. Sed & hoc quoque forſitan non tam mihi quam τῷ προαγωγῷ *Heinſio tribuis. Noſti* τὴν προαγωγείαν*, artem honeſtiſſimam eſſe, quã apud Xenophontem Socrates Antiſthenem ſuum celebrat. Ea nimirum Calliam Prodico conciliaverat, & Aeſchylum Phliaſium ad Socratẽ perduxerat. Non minori affectu invicem conjunctos, quam quo*

nos,

nos, conciliante Heroe noſtro, hactenus ut feſtiviſſime Xenophon loquitur, κυνοδρομοῦμεν ἀλλήλους ζητοῦντες. Etenim jure convenio fortunam, quæ, cum amicitiam Tuam indulſiſſet mihi; quod tamen nondum coram videre & amplecti amiciſſimum pectus concedit, tam prolixum beneficium corrupit. Sed & hec aliquando fiet, poſtquam Bataviæ veſtræ bona tandem fide reſtitutus ſum. Feror enim naturæ quodam impetu ad amorem veſtri. Nec genium quidem ab illo cælo abhorrere arbitratur Heinſius Tuus. Idque aliis fortaſſe jam perſuadet. ἐγὼ δέ τις οὐ ταχυπειθής. Sed de me quid futurum ſit, nondum ſcio. Te ſaltem, Ampliſſime Vir, quotidie intueor, quoties in manibus ſunt, ſunt autem frequenter, Tuæ de Vitæ termino doctiſſimæ diſquiſitiones. Quod ſi aliquid jucunditatis habet, mei meminiſſe; libellus iſte tantiſper Tecum eſto, donec ipſe conſpectu benigniſſimi vultus Tui ad conſummationem gaudii mei perveniam. Agnoſcis tenuitatem munuſculi: & pleraque horum carminum rogatu aliorum ſcripſi. Quo genere nihil poteſt eſſe moroſius. Sed ego omnino extare documentum mei affectus cupiebam. Qui tamen animus, ubi nos aliquod fatum conjunxerit, multo notior in Te aliquando, atque illuſtrior exiſtet.

VINCENTII FABRICII MISCELLANEORVM LIBER.

Ad Illuſtriſſ. BOGVSLAVM

Comitem de Leſna, &c.

ORbis Poloni corculum, Boguslae,
Spes tanta regni, ſpes parentis excelſi,
Qui nunc verendos magnus inter Heroas
Regiſque curas fulcit, & verecundas
Cum laude dictat Sarmatis ſuis leges;
Dum tanti honoris arduum tibi culmen,
Suamque famam deſtinat Palatinus.
Illuſtris anima, debitum caput cælo,
Æternitati, poſteriſque tradendum,
Heros beate, mentis inclitæ conſors,
Quem non vetuſtæ ſtirpis arduum nomen,
Non imminentes atriis tuis ceræ,
Non mille faſces, purpuræve majorum
Ab imperito dividunt magis vulgo,
Quam pectus illud, igneæque virtutes,
Nec proſtitutæ laudis, obviæ cunctis
Captator animus, non libidinis præda,
Non mancipatus improbæ voluptati,
Sed candidus, ſed innocentiæ myſtes,
Caſtuſq; amator, & procus Camænarum,
Et quicquid uſquam vel ſcientiæ proſtat,
Vel eruditis conditum latet chartis,
Complexus in ſe. Signifer juventutis,
Inſignis hoſpes urbium Batavarum,

Colu-

Columenque Leidæ pariter,& decus noſtrum,
Salve ſubinde ſanguis inclitæ gentis.
Et ſi quid uſquam Leida jactitat noſtri,
Æviquе florem pulcher imbuit Phœbus,
Donatque carmen,nec ſiniſter adſpirat;
Dum limen ingens Heinſius tuus pulſat,
Fætumque pectus tot ſcientiis infert,
Dum litterarum ſoſpitator illuſtris
Adſtat tibi, ſupervenitve Cunæus,
Salmaſiuſque Belgii novum ſidus,
Sed orbis idem maximum tibi ſidus,
Tuos labores gratus hoſpes obturbat;
Et me ſtupentem mentis indolem tantæ
Dignare venia,nec gravatus admitte.
Interque mille gratulantium voces,
Et vota mille candidæ juventutis
Cliens puſillus,ſed fidelis obrepam.

Kal. Ian. Anno cIↃ IↃ cxxxiv.

ANnos volantes,circinoſque temporum,
Redintegrati Solis alternas vices,
In ſe reflexas ſemper,& ſemper novas,
Affixa nugis,næniiſque ſeculi
Incurioſa negligit mortalitas.
Poſt immodeſta vota,poſt ſpei moras,
Deliberantes ſemper,acturi nihil,
Et inchoando, tranſiere plurimi
Vitæ pudendæ luſtra feſtinantia:
Quos ante vitam Parca ſemovit ſenes.
Quiſquis ſapis,præoccupes canos tuos,
Labentis ævi reprehenſor ſedulus;
Ne prævolante, quo ſolet ſemper, gradu,
Poſt terga vita incogitantem deſerat.
Eſt cum calonum diligentem decipit
Matura ſatio,ſera ſemper peſſima eſt,

Digitized by Google

Ad IANVM BODECHERVM BANNINGIVM.

Cum Thaleucos ſuos ederet.

IVcundiſſime Iane, da Phaleucos
Mellitos, agiles, tuos Phaleucos,
Quos diſcit Venus, & tener Cupido
In blandis recitat parentis ulnis,
Et quamvis tetricæ probat Minervæ.
Iucundiſſime Iane, quære famam,
Et tot judiciis probatur ante
Guſtum poſteritatis experire.
Vitæ ſumma brevis, venuſte Iane,
Iuventæ brevior vetat morari.
Quæ dum labitur, & negat reverti,
Noſque una rapit, & vetat reverti,
Illaudatus abire qui laborat,
Is laudabilis eſſe non laborat.

In Carmen de Ambitione, & reliqua poemàtia MARTINI PILII, *edita à* IACOBO PILIO.

STabat inexhauſto Muſarum tactus amore
Vix teneram ſpargens Pilius ore comam.
Stabat, & erecto, rara virtute, trophæo
Poſt famam victor ambitionis erat.
Cum vitæ inſidias Lacheſis meditata calentem
E mediis juvenem plauſibus eripuit.
Belgica condoluit rapto. Nunc Pilius alter
Excuſat ſuperos, reſtituitque novam.

Ad ZACHARIAM LVNDIVM.

De virginibus Batavis.

GErmanæ Lundi fueris conviva puellæ:
Detur in amplexus Anglica virgo tuos:

Itala

Itala concubitu gratiſſima: Galla loquelis:
Belgica, quod dederint quatuor, una dabit.

Ad IOANNEM GARMERVM IC. REIP. HAMBVRG. SYNDICVM.

Cum poſt ampliſſimam legationem ex Hollandia redux Nuptias ſecundas celebraret.

LVmen Senatus, Civitatis antiſtes
Ingentis ingens, qua pater ſuas Albis
Diſſolvit undas, Tethyoſque vicinæ
Regnum ſalutat ampliore torrente,
Garmere ſalve: dum penatibus tantis
Lictore moto, ſarcinaſque curarum,
Hymen facetus, & Cupido ſuccedit.
Puſillus ille, troſſulus, cavillator,
Haga reducto, mænibuſque Lugduni,
Et delicatis finibus Patavorum
Ceu præſtolatus incubat. Velis, nolis,
Inuſitatæ curiæ tibi limen,
Garmere magne, conſpicis frequentandum,
Vbi ſola, ſed verenda præſidet Cypris;
Subſelliiſque parvuli imperant gnati,
Sententiaſque colligit procax Hymen.
Hoc, ſponſe, coram dum reus tribunali
Grato vadatus ſiſteris Deæ juſſu,
Nos, qui remoti Belgico procul Rheno,
Muſiſque Leidæ detinemur æternis,
Luas, precamur, frigidi moras lecti,
Et deſtitutos tot Cupidines annis
Complexibuſque, baſiiſque millenis.

Ad THEODORVM VALLENSEM

IACOBI, *Archiatri Principis Auriaci, filium. Cum Medicinæ Doctor crearetur.*

QVam bene præclarum ſequeris, Theodore parentem.
Ille favet titulis; nec dolet eſſe parem.

Proce-

Procedit juveni famæ menſura paternæ:
Dignius exemplum non aliunde petes.
Vtq; Parens Ductori ipſi, tu civibus adſis.
Sic quoque quod doleat ſævus habebit Iber.
Auriaco ſalvo facile contemnitur hoſtis.
Cumq; ſuo Batavi ſtantque, caduntque Duce,
Nec negat Auriacus Medico debere ſalutem.
Eſt ea tota patris laus, Theodore, tui.
Imputat hoc damnum trepido vir ſummus Ibero.
Sic Batavi vincunt: nec magis arma nocent.
Vallenſis, quoties meritis ſua præmia conſtant,
Proximus eſt palmæ, ſubſequiturque Ducem.
Pro patria Princeps, Medicus pro Principe pugnat.
Sic quoque pro patria pugnat, & arma gerit.

Ad IACOBVM PILIVM,

Cum de Tutelis & Curationibus publice diſputaret;
Ejuſque præſidem
ARNOLDVM VINNIVM, IC.

JVris, forique litigantis arbitri,
Proles Triboniana, gens vaferrima,
Exceptiones invenire callida,
Aliis cavere docta, ſed vobis magis,
Ne quando ſacculum oppleant araneæ,
Focuſque ligno parciore ſplendeat:
Æqui bonique conditores, ut volunt,
Sed univerſos advocare haud attinet;
Duos abunde eſt ſi rogare nunc licet.
Pili venuſte, docte, tuque Pilii
Periclitantis inter hoſtium minas,
Arteſque mille, totque captiunculas,
Defenſor acer, & patrone ſedule,
Vinni, Batavæ palladis novum decus,
Adeſte paucis. Seculum hoc, quo vivimus,
Supereſſe rebus amplius nequit ſuis.
Tutore, Curatore, vos videbitis

Viro

Vtro indigere cenſeatis maxime.
Ego imperitus juris antiqui,ac novi,
Mediique, nil diffindere heic poſſum, viri.
Hoc ſcire poſſum: audire nec loqui poteſt.
Calumniari,quod poteſt,ſolum poteſt.
Delirium non ſuſpicamur denique;
Manu tenemus. jam furit, jam vim facit.
Nec ſumptuoſum eſt amplius, ſed prodigum,
Veſtra illa cura eſt. Sive lege Titia
Tutor videtur dandus, aut Prætorius.
Nec diſplicet fiduciarius tamen.
Si Pilioque, Vinnioque ſic placet.
Vobis libenter,quicquid eſt,remittimus:
Poſtquam Imperator ille Iuſtus, & bonus
(Theodora ſi modo, atque Cælites ſinant)
Artis medendi candidatos abjicit,
Nec eſſe tutores ſinit, licet velint.
Etenim minores fallere, ut non ſentias,
Nec Prætor ullus poſtulet ſatisdare,
Cunctique rem geſſiſſe judicent bene,
Mediocris hominis qui putat,ſentit nihil.

De lauru

HENRICI CILLENII.

ORnatus lauru vates Cillenius adſtat.
Plectrum Pierides addite, Phœbus erit.

Ad IOANNEM ADOLPHVM FABRICIVM.

SI modicis potui Muſis cantare Merillam,
Et mereor laudes,mitis Adolphe,tuas:
Forſitan ætatis nondum me pœnitet actæ.
Illa ſuos numeros convenienter habet.
Nunc quoque,ne ſolis vaneſcat amoribus ardor,
Melpomene ſacro pectine pulſat ebur.
Ieſſiadæ leſſum, miseræ ſuſpiria Dinæ,
Devinxi Latiis, compoſuique modis.

Ter-

Digitized by Google

Tertia ſuccedit genitrix mæſtiſſima Moſis.
Heic etiam lacrimas invenit illa ſuas.
Vt placeant primi luſus; hæc carmina, Iane,
Non minus ingenii, plus pietatis habent.

In ALBO IANI MARII.

Vbi ex adverſo picta erat Civitas Leidenſis.

LEidæ mænia, porticus Lycei,
Tot magnas animas, & eruditas,
Leidæ gaudia, candidas puellas,
Tot meſſes, ſegeteſque baſiorum,
Cumque his Fabricium ſuum relinquens,
Ne ſemel ſimul omnibus careret,
Leidæ mænia, tot viros celebres,
Et cum Fabricio ſuo Lyceum,
Tot pulchras Marius meus puellas
Heic complectitur unica tabella.

In Mopſum.

IS labor eſt multis, ut diſcant omnia: Mopſus
Immani didicit ſedulitate nihil.

Ad HERMANNVM IVNGIVM.

Quod præſentiſſimum mortis periculum evaſerit.

PEne Fabricius tuus periſſet,
Iungi, ſumme meorum amiculorum.
Et jam vix digitis tribus, vel uno
A noſtris ſtetit atra mors capillis.
Cum ſclopo globus improbo vibratus,
(Vri debuit artifex nefandus,
Mortis ingenioſus architectus,
Qui primus docuit vibrare ſclopum)
Siniſtram ſonuit volans ad aurem,
Vt ſi qua propius volaſſet ille,

Iſte

Iſte ſpiritus evolaſſet una.
Nec nunc hendecaſyllabos meos tu,
Nec luſus legeres tui FabricI.
Servavit melior Deus, nec iſto
Mî fatale fuit perire ab ictu.
Idem te, voveo, diu valere,
Et velit Clariis præeſſe Muſis,
Iungi, ſumme meorum amiculorum.

De Homeri Poematis.

MÆonium vatem concluſum hoc faſce videmus.
Si qua fides, codex continet iſte Deos.
Si qua fides, natura ſuo ſe induſſit Homero
Tota, &, ſi fas eſt, par fuit ille Deo.
Ilias æternum, rumpatur Zoilus, eſto,
Quod referat quiddam numine majus, opus.
Dulichius, natuſque, & caſta, & callida, conjunx
Vivat: & heic livor nil ſciat eſſe ſuum.
Quiſquis eris, lector, Naturam, Numina, Cælum,
Orbem utrumque iſtis crede habitare libris.

Tumulus LAVRENTII NYBVRII.

PIetas, ſed erudita; puritas morum
Non ficta, non fucata: mens verecunda:
Annoſque prætergreſſus ingens fervor:
Decus juventæ: Civitatis immenſæ
Non vilis exſpectatio: Patris lumen
Nyburii, ſed unicum, ſed inſigne:
Matris voluptas ſumma, nunc dolor ſummus:
Si plura quæris, hoſpes, heic jacent plura.

Kal. Ian. Anno cIↃ IↃcxxx.

Ipſe ſe alloquitur.

VIncenti, elapſum finis nunc terminat annum:
Exue, ſi quid erit, quod decet exuere.
Exue peccantem, quicquid turpe, exue vitam.
Lux hæc ejectis ultima ſiet vitiis.

Vin-

Vincenti, inſtantem lux craſtina proferet annum:
Indue, ſi quid erit, quod decet eſſe novum.
Indue correctam, quicquid decet, indue vitam.
Illa dies vitæ ſtet tibi prima piæ.

In Orationem AVGVSTI BVCHNERI, *à Chriſtiano Caſsio editam.*

ILluſtre robur, indolemque Buchneri,
Erectioris eloquentiæ fulmen,
Voceſque geſtis maximi pares regis
(Quas noſter Albis, Leucoriſque, ſed vivas
Quondam ſtupebat, jam periculis functa,
Poſt bella Muſis denuò redonata)
Siſtit Batavæ Caſſius meus Leidæ,
Et ſiſtit orbi. Dignus intrat orator
Majus theatrum: Civitatis unius
Vox tam diſerta mænibus negat claudi.
Nunc teſte mundo cladium vices narrat,
Cædeſque mixtas. Deſtituta Libertas,
Hoſtemq; paſſa, triſte ſub jugum miſſa;
Sed ſtrage dem um vindicata non una,
Poſt facta regis, vindiceſque pugnantes,
Debet loquenti non minora Buchnero.

In obitum IOANNIS MARCELLI.

HAs tibi, flos juvenum, exequias, Marcelle, paramus:
Incerti, noſtras quis paret exequias.
Felix qui potuit bene præceſſiſſe ſequentes!
Felices naves, quas cito portus habet!
Ah liceat tali portum contingere vento;
Et libeat vel nunc explicuiſſe ſinus.

VINVM POETARVM EQVVS.

ANacron bibebat,
Anacreon poëta;
Recentibus ſertis

Semper

Semper mero calentem
Frontem revinciebat.
Et inde tot lepores,
Sed aurei lepores,
Et inde tot jocorum
Argutiæ fluebant.
Feliciter Poëtæ!
Qui non ubique Phœbum,
Non virgines novenas,
Sed ſæpius refertis
In verſibus Lyæum.
Vino calent Poëtæ,
Mero Thyoniano,
Quod diligit Catullus.
Horatiique fervor,
Cum dulce cantat Eva.
Vobis habete fontes;
O virgines novenæ,
Vobis habete triſtes,
Quas poſſidetis, undas.
Quiſvis liquore blando,
Sed Bacchico liquore
Veteris cadi liquore
Se perluit, poëta eſt.

In Albo cujuſdam, ubi eadem pagina ſcripſerat Zach. Lundius.

UT junxit nos ante fides, & candida virtus,
Et nondum læſæ fedus amicitiæ:
Fabricio junctus ſuus heic quoque Lundius eſto;
Et coëant charta corcula bina ſua.
Si qua iſtam lædet manus improba; lædet utrumque.
Heic quoque ſub fato ſtamus uterque pari.

In

In obitum CASPARIS MOLLERI, IC.

Qui in itinere militari facinore captus, ex ſqualore carceris contracto morbo in patriam redux obiit.

Diræ in Martem.

GRadive vecors, ſignifer ſceleſtorum,
Iniquitatis & furoris antiſtes,
Mixtam cupreſſo ſplendidam para laurum;
Para trophæum, ſed cruore diſtinctum,
Feralibuſque gaudiis tubas junge.
Ad ſumma ventum eſt. Cladibus ſuis feſſa
Non ſufficit Germania ad tuam famam:
Quam tot per annos, ſævus artifex, bellis,
Incendiiſque, cædibuſque committis.
Supereſt triumphus innocentiæ victæ;
Virtus inermis fraudibus tuis rapta
Ingens priori pondus additur laudi.
Nimis minutum eſt fortitudinis nomen:
Latrocinari convenit viris tantis.
Ad alta famæ ne quid uſpiam deſit,
Prædo vocari glorioſius malis.
Tantiſque factis nobiliſque, claruſque
Para trophæum, ſed cruore diſtinctum,
Feralibuſque gaudiis tubas junge.

Aliud.

CVm ferus injiceret Mollero vincula miles,
Ipſa fere virtus eſt ſibi viſa capi.
Nunc liber, vanæque ſolutus carcere vitæ
Evolat, & cælo redditur, atque ſibi.
Libertatis amans animus poſt vincula prima
Libertus ſummi maluit eſſe Dei.

In albo CHRISTIANI CASSII.

IN gens amor eſt, optime Caſſi,
Qui Fabricium tibi conſtrinxit.

Quem

Quem ſi tribus heic teſtor verbis,
Brevibuſque notis, verſuque rudi;
Tamen affectum non diminuo.
Minus ardet, qui plurima jactat.

In eodem.

DVlci quiſquis abutitur ſodali,
Vt vagus ſolet inſtitor moneta,
ventis navita, mercibuſque mango,
Admittitque libenter, & viciſſim,
Tanquam qui nec amaverat, remittit,
Et pari fruitur, caretque vultu,
Caſſi candide, dignus eſt habere
Multos, nec niſi peſſimos ſodales.

Ad CRISPINVM.

CVm mihi, germanæq; meæ, matrique negatur
Filia Criſpini, ſcilicet ægra jacet.
Nec male, formoſis morbus, Criſpine, puellis
Sæpe pater durus maximus eſſe ſolet.

Kal. Ian. Anno cIↃ IↃ cxxxv.

Ad CHRISTIANVM CASSIVM.

ABire, Caſſi, nemo tonſtrina ſolet,
Speculum priuſquam conſulat, tangat caput,
Mento relictam examinet, fingat comam,
Ne quid ſuperſit, vel remiſſum, vel vagum,
Ne ſurgat hic cincinnus, ille pendeat,
Nimiſq; frontem vel revelet, vel tegat,
Quod aut puella curioſa rideat,
Aut de feneſtra luſca proſpectans anus.
Tranſimus annos, docte Caſſi, nec ſemel
Nulla ne vita labe ſit deformior,
Acceſſeritne turpe quiddam moribus,
Quod vel ſecare præſtet, aut inducere,

Incurioſis quæritur mortalibus.
Nihilne frons minetur impudens, leve,
Aut vultuoſum: pura num conſtet ſibi,
Rectumq; mens tutetur, aut ſervet bonum,
Decora, ſimplex, caſta, neſciens doli,
Depreſſa nullis temporum deliriis,
Nec inquinata ſordibus, ne debeat
Ludibrium prudentibus, pænas Deo.
Sed per nefanda vota vita labitur:
Longam precamur ſinguli, nemo bonam.

Ad NICOLAVM ELSTORPIVM.

DIſerte Nicolae, quem pater Phœbus
Sacro laborat collocare Parnaſſo.
Inebriatum fontibus caballinis,
Lauruque frontem nobili coronatum,
Si ſemper iſte pulſat impetus pectus,
Iuſtamque fata pollicentur ætatem;
Quid me, diſerte Nicolae, vix notum
Et immerentem laudibus vehis tantis,
Affectui tuo, tuoque candori
Debemus, atque Lundio, ſed audaci
Sed immodeſto interpreti meæ famæ.
Errare tanto teſte ſi tibi fas eſt,
Amare tanto teſte non minus debes.

In Quendam Anagrammatiſtam.

CVm ſapere nolis, nec queas, licet velis,
Minus operoſe deſipere poteras tamen.

Ad HENNINGIVM GEORGIVM,

Cum Roſtochii I. V. Doctor crearetur.

QVemcunque virtus, & Deæ Parnaſſides
Sublimiori deſtinarunt culmini,
Hunc laudis ardor, gloriæque incendium

Blan-

Blandis adurunt ignibus, quos non capit
Pullata plebes, ſordibus ſuis ferox,
Caliginis patrona, nugis obſita,
Nutrix quietis, obſtetrix inertiæ.
Erecta mens cælum tuetur, & ſui,
Originiſque conſcia, ingenti calet
Amore laudis, urget, atque inſtat ſibi,
Quantumque fama creſcit, ipſa proficit,
Et læta pulchræ conſcientiæ favet:
Mox inficetum vulgus arcet, & fugit,
Faſtidioque liberali deſpicit.
Felix Georgi, cui Camæna, cui Themis
Laudem auſpicantur, imbuuntq; honoribus
Inſigne pectus, atque virtutis capax.
Nunc gloriæ ſecurus ingenti trahis
Famam triumpho. Diva præſidet Themis
Tuo curuli. Pone Phœbus, & Deæ
Novenſiles ſequuntur, & jungunt manus.
Iuxta recumbit Fama proximo loco,
Et eruditam amplexa dexteram tenet.
Te vultus acer, proditorque gaudii,
Doctamque digna laurus incingens comam,
Ardenſque lena, coccinoque lucidum
Oſtentat oſtrum, ſegregatque cæteris
Æternitatis candidatum, & gloriæ.

In Compendium Muſices.

ERASMI SERTORII.

FElix autor, & arbiter jocorum,
Invenire facetias diſertus,
Blandæ vocis Eraſmus architectus
Artem, quam Polyhymnia magiſtra,
Quos Phœbo didicit ſonos magiſtro,
Profert denique, poſteriſque reddit:
Famam denique poſteri reponent.

Digitized by Google

In obitum

IOACHIMI DAMMICHII
Theologi.

DAmmichius magnis tandem languoribus impar
  Exuvias tenues ponit, & aſtra petit.
Quod ſupereſt, anima cælo ſuperiſque recepta,
  Nos tumulo ſancti condimus oſſa ſenis.
Addimus & lacrimas, & buſtum ſpargimus iſtis,
  Et ferimus cineri dona ſuprema pio.
Hei mihi, quo mores tam lenes fata relegant,
  Queis nil candidius patria noſtra tulit!
Hei mihi, cur blandæ mitis facundia vocis
  Tam placide dudum deſiit ore loqui?
Et vocem, & mores Eccleſia mæſta requirit,
  In luctus fuerat cauſſa vel una ſatis.
Funera privati deflent plebeja penates:
  Nec patet in plures, egrediturve dolor.
Dammichii exequias lacrimis communibus imus,
  Et minimum eſt luctus, quod domus intus habet.
Publica mæſtities in vultu cernitur urbis,
  Qui bonus eſt, partem vindicat inde ſibi.

In deſcriptionem Regiarum Nuptiarum in Dania.

CHRISTIANI CASSII.

Ad Lectorem.

SEptentriones ſumptuoſe luſtrator,
Quocunque ab orbe ſedibus tuis motum
Celebritatis fama Cimbricæ traxit,
Regaliumque feſta flamma tædarum;
Seu te voluptas, & libido ſpectandi
Inutilis, precioſa, pervicax, vana,
Sumptus pati coëgit, & moram ſuaſit;
Seu te manendi tædiumque, damnumque
Domum remiſit irritum ſpei tantæ,

Dum

Dum diva virgo de parentis amplexu
Ægre revulſa ſplendidas moras nectit,
Differtque læti principis voluptatem:
Vterque præſtinate Caſſii librum.
Videbit alter diligentius cuncta,
Et ſe requiret, nec ſatis ſibi fidet,
Semelque viſa denuo recognoſcet,
Necante viſa, dum vel impudens cuſtos
Excluſit, aut rejecit irruens turba,
Tumultuanſque, nunc videre gaudebit:
Alter dolores ac inutiles ſumptus
Non pænitendis nummulis redempturus
Lucro reponet, quod retraxerat, tempus.

In obitum VLRICI PAVLI.

IMmite fatum, triſte funus, ac crudum,
Inſignibus ſuſpiriis frequentamus,
Dum lacrimis, convitioque crudeli
Afflicta mens vices doloris alternat.
Puer venuſte, te nec innocens ætas,
Nec flos pudoris elegans, verecundus,
Vigorve mentis, luminumque pulchrorum,
Riſuſve mollis, & frequens, & argutus,
Non os diſertum, delicatius melle,
Leporibus, facetiiſque jucundum
Magno parenti luctibus fatigato
Vltra tuetur, aut reponit ereptum.
Qualis tenello floſculus latens nodo,
Quem vernus aër lenibus fovet ventis,
Sparſum ſalubri rore, rivulum juxta
Grato tremore garrulum, ſuſurrantem,
Gaudet videri, ſuavibuſque ſtricturis
Tenerum ruborem prodit, & tamen celat,
Calycemque rumpit ſemihulcus obliquum;
Mox languidus fiduciam colonorum,
Opeſque ruris invido trahit fato,
Quoties maligni turbinem cient Cori,

Aut vaſtus imber, aut nives proceIloſæ,
Graviſque campis pinguibus furit grando.
Te vere primo molliter vireſcentem,
Et vagientem pene, de ſinu matris,
Complexibuſque patris abſtrahens fatum,
Superûmque livor, blande, dulcis Vlrice,
Proſternit ante debitam tibi pubem,
Fidemque fallit, deſtinatque telluri
Onus minutum, leniterque preſſurum.
Iam dignus heres indoliſque, famæque
Summi parentis enitebat, & primos
Animus colores duxerat, venuſtumque
Virtutis omen fecerat ſecuturæ.
Iam vota, ſpeſque caſta junxerat mater;
Cum vota, ſpeſque luctuoſa tempeſtas,
Et immodeſta Parca diſſipat, tollit,
Atrocibuſque fletibus patrem laſſat.
Qui nunc reductus, abdituſque creſcentem
Sentit dolorem, lacrimiſque conſumptis
Turbam clientum ſubmovet ſera pulla,
Non ille leges conſulentibus promens,
Non jura dictans, nec ſibi magis dici
Leges dolendi paſſus, aut modum poni,
Includit ingens vulnus, & vacat curis.

Ad BRODERVM PAVLI, IC.

Cum ipſi, filiolo unico paullo ante mortuo, ſtatim alterum uxor peperiſſet.

VIx triſtis Libitina tam venuſtum,
Tam charum abdidit ſepulchro,
Vix dum deſierat pater vocari
Plorans Pauliades, & orbitatis
Ipſo in limine conſtitutus, alto
Teſtatus gemitu ſuum dolorem:
Cum vagitibus, æmuloque fletu
Fratrem poſcere creditus, venuſtus

In mæſtæ gremio parentis infans,
Recens editus expetitus infans,
Arridenſque parentibus, reducit
Pulſa triſtitia ſerenitatem,
Et ſuſpiria, fervidoſque luctus
Mutat denique lætiore vultu.
Tanto numina gaudio querelas
Compenſant bene: non tamen viciſſim
Diſtinguunt bene gaudium querelis.

De eodem.

DVm moritur frater, ſubito bene naſcitur alter:
Non bene, dum frater naſcitur, alter obit.

De eodem.

OCcurrunt dubiæ luctus, & gaudia matri,
Ante rogum gnati dum parit illa ſui.
Dic mihi, dum peperit, quo curat funera vultu?
Dic mihi, dum curat funera, quo peperit?

Ad ZACHARIAM LVNDIVM,

Cum ipſi Grotii libellum de veritate Religionis Chriſtianæ dono daret.

LVndi, Fabricii tui voluptas,
Sectator pietatis eruditæ,
Veræ religionis æſtimator,
Cauſſam religionis adſerentem
Inſignem lege Grotii libellum.
Non heic, optime, quære ſyllogiſmos
Algentes male, languidos, ſolutos,
Et quales pede proruuntur uno,
Vel quales recitat rudi popello,
Immani ſtrepitu, rudis magiſter,
Dum quaſſat cathedram manu furente,
Poſt obſonia, fervidamque pulpam,
Suffultus ſtomachum mero calente.
Sacris Grotius utitur pudicis,
Robuſtis agit ille rem lacertis.

Digitized by Google

Ille ſenſibus arduis, piiſque
Argumenta rotat, trahitque mentes
Cordatis rationibus rapitque,
Et totum docet, ingeritque Chriſtum.
Lundi, Fabricii tui voluptas,
Relinquo tibi Grotii libellum
Cauſſam religionis adſerentem,
Vt, quem cæpimus invicem fovere
Blandis igniculis levis juventæ,
Primis laudibus eruditionis,
Poſt lectum tibi Grotii libellum
Amor religioſius colatur.

Ad IOANNEM FRIDERICVM GRONOVIVM,

Civem ſuum:

Diatribas ſuas in Statii Silvas edentem.

HActenus à vulgo, frater dilecte, remotum
Adſeruit ſtudiis dulcibus alta quies.
Blandaq; Lugdunum cum pulchra dividit Haga
Ingenii dotes, delitiaſque tui.
Poſt procerum plauſus, monſtres tria nomina mun-
Area virtuti latior vnde patet. (do
Magna ſecuturæ deſignans omina laudis
Statius, in famam nobilis autor adeſt.
Poſteritas tanti referens præconia vatis,
Enumeret titulos, adjiciatque tuos.
Si capit inſignem virtutem; quicquid habebis
Nominis, apponat patria noſtra tibi.
Sin minus; & laudes inſcitia deſpicit illas:
Invidiam ſatis eſt promeruiſſe tibi.

In REINHOLDI BLOMII diſputationem publicam.

VEnuſte Blomi, corculum juventutis,
Quem laudis ardor, morbus eruditorum,

Hone-

Digitized by Google

Honeſta labes mentis igneæ, magnæ,
Vltra profanæ plebis extulit ſordes;
Qui ſacra Phœbi, maſculamque doctrinam,
Amænitates cum ſcientiis jungis;
Prodi venuſte, dulcis, elegans Blomi,
Pulchræque veritatis acer adſertor
Nuda lacertos: nobilique conatu
Illuſtriores auſpicare ſucceſſus;
Parentibuſque, patriæque communi
Miraculumque, gaudiumque promitte.

Digitized by Google

Manes

CORNELIAE

VOSSIAE.

Digitized by Google

Clariſsimo Viro

MATTHÆO VOSSIO,

S.D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

IGnoſcendum eſt amori meo, mortalium ſuaviſsime, ſi luctum tuum, quem omnino longa dies mitigare debuit, novis iterum lacrimis exulcero. Equidem dudum aliquid inaudiveram: ſed quod rumor ſine capite manaret, meliori ſpe inviſum timorem libenter excuſsi. Donec tandem Cl. Gronovius noſter ſero, ſed ferali nuntio fluctuantem animum pene proſterneret. Noſti illud Tragici:

χρὴ τῶν ἀγαθῶν διακναιομένων
Πενθεῖν, ὅϛις χρηϛὸς ἀπ' ἀρχῆς νενόμιϛαι.

Meus autem dolor idcirco vehementior fuit, quod non tam τῶν θυραίων πημάτων αἴσθησις, ut idem alibi loquitur, ſed fere domeſticus eſſet. Effectum enim eſt maximis familiæ veſtræ beneficiis, ut nulla vobis impendere tempeſtas poſsit, quam mihi funeſtam non arbitrer. Accedit, quod aliquo ſaltem cultu placandi manes erant ſanctiſsimæ Corneliæ, cujus ſummas virtutes nemo hactenus mortalium intellexit. Non ignoro, occurrere jam tibi crudele ſpectaculum, cum ex amplexu pene ablatam tuo ſororem optimam, ante oculos tuos, fatalis glacies mergeret. Cum ſingultu ſaltem ſupremo, intercluſa voce, ope omni deſperata,

quam toties, nulla tui cura, ferre auſus fueras, ultimum vale pereunti diceres. Sed tam miſerandum caſum fortiori jam animo tolerandum tibi cenſeo, quoniam me dolendi ſocium ultro obtuli. Videbis idoneum, nec cedentem oneri, ſi præcipuam triſtitiæ tuæ partem in me transtuleris. Qui, per fidem, ſi omnino aliquod in te incendium concitandum eſt, in medias tecum flammas venire decrevi. Coloniæ ad Rhenum. XII. Kal. Majas. Anno cIↄ Iↄc XXXVIII.

Digitized by Google

I.

AMſtelii juvenes, qui tumbam fletibus iſtam
Spargitis, & triſtes defigitis ante cupreſſos,
Quin lacrimas tandem nobiſcum impenditis omnes,
Indignamque necem verbis feralibus ultum
Pergitis, & juſta mærorem incenditis ira.
Quod cecidit, tumulo quod ſecum condidit uno
Voſſia virtutum quicquid laudare ſoletis,
Palladis invidia eſt. Sit fas iterare Dearum
Flagitia, & merito convitia dicere cælo.
Fumantes Trojæ cineres, evulſaque ſaxa,
Ante aras Priamum, natos ante ora parentis
In ferias Furiiſq; datos, Scythicoque Gradivo,
Dudum Pallas habet ſpretæ ſolatia formæ,
Et Veneris prælatæ. Iterum ſurrexit in iras
Diva novas. iterum funeſta clade fatetur
Livorem. & ne quid præſumptis laudibus abſit,
Omne decus tollit, virtutes dejicit omnes
Ambitio præceps, & cæcis mergit in undis:
Inſignemq; domum memorando fulmine quaſſat.
Voſſia ſuccreſcens virtutis ſtirpe recenti,
Ibat honoratas inter ſpectanda puellas,
Quantum humiles celebs platanus ſupereminet ulmos,
Quantum exſurgit Atlas, monteſq; cacumine vincit,
Nocturno quantum reſplendet in æquore Luna,
Plena luce rubens, & cunctis purior aſtris.
Viderat hanc Pallas Batava ſublimis ab arce,
Qua formoſa caput Lugdunum tollit olympo,
Æternaſque artes, ſpem poſteritatis, in orbem
Attonitum divulgat Adhuc innoxia Pallas
Viderat hanc. nec dum indignam tentare ruinam,
Inque necem durare poteſt. Surgente puella,

Poſtquam jam ſolidas nacta eſt Cornelia laudes,
Impatiens ſpectare parem, tandem ægide mota
Collegit rabiem, pleniſque furoribus acta eſt,
Talibus exardens virgo Tritonia dictis,
Vt fuerat turbata comas: Mortalibus ergo
Ambiguum decus eſſe meum: ſemperque Minervæ
Inſtituunt aliquam concurrere fata puellam?
Non impune tamen ſuperis concurritur. Vlta eſt
Cynthia Mæoniam Nioben: Saturnia Iuno
Cadmæam Semelen. Nec in una cæde peracta eſt
Ira Deæ. totum complevit ſtragibus orbem,
Æmulus inceſſit quoties furor. Et mihi patrem
Eſſe Iovem memini, Martis germana. nec haſtam
Nequicquam geſtamus; & hoc à vulnere ſanguis
Manat, & infeſtus circum ægida ſibilat anguis.
Pendere Idmoniam jam Lydia vidit Arachnen.
Illa tamen gracili contendere ſtamine tantum
Auſa, puellari congreſſa eſt æmula fuſo.
Hanc quoque ſi palmam nobis rapuiſſet inultæ,
Egregiam vero laudem mortalis haberet
Pectine percuſſo ſub tegmen docta ferire
Inſertum, & facili radio percurrere telas:
Qua captiva ſolet cenſeri laude necato
Sponſa viro. tenuis famularum gloria tela eſt.
Voſſia congreditur cunctis virtutibus. Illam
Et mores æquant, & forma verenda Minervæ.
Da capiti galeam, lævamque incinge Meduſæ
Anguibus, audaci dextra gravis haſta minetur:
Pallada jurabis patrio deſcendere cælo,
Sed placidam, ſed ridentem, pacemque duello
Miſcentem, & blando moderâtem dulce ſevero.
Acceſſit mentis ſolertia. Quicquid, ubique
Scire Deam fas eſt, quodque ignorare puellas
Humanum eſt, una complectitur indole virgo.
Quin nec naſcendi jactat ſe ſorte minorem,
Quæ non ingenio cedit. Mihi Iuppiter, illi
Voſſius autor adeſt. Sed poſtquam eviluit omnis

Gloria

Gloria divorum, pariter cum thure, molaque
Priſcus in exſtructis refrixit Iuppiter aris.
Voſſius emeruit doctrinæ laudibus aſtra.
Hinc animos ſumit Cornelia. Iunia mater
Adjicit inſignes proavos. Hac parte minorem
Me videt, & nullos numerantem à matre parentes.
Quo mihi Germani, ſi frater quilibet illi
Mercurium præſtat, & noſtrum nomine Phœbum
Exſuperat? Fortuna domus conjunxit Olympum,
Et bifidum Parnaſſum, & tecto Caſtalin uno.
Tot titulis ſubnixa, meâ Cornelia Leidâ
Abſiſtat: Pallaſq; ſua dominetur in arce
Vnica. Quin aliqua nos majeſtate tuemur
Deniq;, & immani teſtamur ſtrage dolorem.
Per facinus ſaltem tollenda eſt æmula regni.
Dixit. at infelix, tantiq; ignara furoris,
Voſſia Lugdunum, charos viſura propinquos,
Supremum carpebat iter. Conſtrinxerat omnes
Tempeſtas hiberna lacus. & puppibus ante
Tentatam, admiſſo Boreas duraverat axi,
Et volucri ferro, pedibuſque audacibus undam.
Terra rotis pariter rapidis, fluviique teruntur.
O nimium non cauta! placet peregrina voluptas,
Et lubricum præfertur iter. Fraterque, Sororque
Adſiſtunt, curruſq; citis infertur habenis.
Diſcurrunt pubes glaciali ludicra campo,
Innectuntq; manum, & pedibus talaria ſubdunt
Ferrea, quaque venit Cornelia, mixta puellis
Læta cohors juvenum curſu volitante vigorem,
Ingeniumq; probat. Confuſæ Najades iſtis
Ingreſſæ, nivibus ſparſis ſolennia ludunt.
Nec jam Leida procul. Miratur Pallas euntem,
Vt ſteterat ſumma ſpectaſcintillat in ore
Mox odit. toto ſurgens ns inſi gnis ab arce.
Livor, & indomita coëunt in fronte furores:
Ac modo concurſu, modo plauſu offenditur omni,
Imperioq; timet. Quin fato intendimus, inquit,

Virgi-

Virginis inviſæ. Projectaque eminus haſta
Diſturbat glaciem. Subſidit pondere currus,
Et miſere excuſſam, nec tam crudele merentem
Exitium, infeſtis abreptam fluctibus infert.
Attonitus frater, & flens germana ſororem
Fruſtra voce cient. Comites involvere cladi
Noluit, atque uno contenta eſt funere Pallas.

II.

Cornelia loquitur.

FRigore concreta quæcunq; vagaris in unda
Impune, audacem ſiſte puella pedem.
Hic ubi diductam glaciem, velique relicti
Conſpicis exuvias: illa ruina mea eſt.
Quæ fuerim, Batavus tibi Rhenus, & Amſtela dicent.
Cætera cura piæ poſteritatis erit.
Si tamen eſt aliquid jactandum: Voſſia dicor.
Sufficit hoc nomen, ne ſine laude cadam.
Hoc quoque non ſolidum eſt, ſuperi! mea gloria ſaltem
Nequaquam patris debuit eſſe dolor.
Tempore tranquillo felix tranſire ſenectus,
Et meruit puros, & ſine nube, dies.
Hei nimis ingenti precio ſum filia dicta,
Si pariter mecum gaudia cuncta jacent.
Tam laudata domus ſi noſtro fulmine tacta eſt,
Et patior fatum non ego ſola meum.
Lætius hoc: nullo manes onerantur amore,
Quique fleat, noſtro funere ſponſus abeſt.
Quiq; parum juſtis verba inclementia divis
Dicat, & à tumulo nolit abire meo.
Non memini ſenſiſſe faces. tantiq; triumphi
Parvis Amor laudem clamat abeſſe ſibi.
Si tamen eſt aliquis circa mea buſta viator,
Qui plenus lacrimis, & quid amavit, adeſt;
Sive aliquis tacito petiit connubia voto:
Iſta, quia perii, ſpem quoq; mergat aqua.

At

At tu, cui juvenis placuit, nec amare recuſas,
Fluminis hiberni diſce timere fidem.
Felix, quam lacrimæ, luctuſq; domeſticus urgent:
Tu gemitus plures ad tua buſta trahes.
Funere componi ſe dicet amator eodem,
Si pereas. Sponſo vivis, & ille tibi.
Si tibi non parcis: ne ſis crudelis utrique,
Quos uno fati fœdere junxit Amor.
Denique, ſi qua voles, exemplis utere noſtris.
Prodiga nec vitæ virgo ſit ulla ſuæ.
Tutius irriguo violas decerpis in horto,
Aſpera cum Zephyris pulſa receſſit hiems.
Illic & choreas, innexaque brachia junges
Mixta viris feſto virginibuſque die.
Nec tentare veto labentes lintribus amnes,
Qui tenues undas, & ſine fæce, trahunt.
Dum porrecta queat pendentem tangere ramum
Dextera, & excludat proxima ripa metum.
Me, quam fata volunt raptam fallacibus undis,
Sufficiat damno vos docuiſſe meo.
Hoc precor: erecta ne parcat poſtmodo pinu,
Quo perii, miſerum nauta notare locum.
Qua ſi quis juvenum, conſumpto frigore, perges,
Inque tuo recubans dulcis amica ſinu;
Commemorent noſtrum ſaltem ſuſpiria caſum,
Eveniat liquidus ſic tibi ſemper amor.

III.

CVm de flu[...]ibus aureum marinis
Cypris candida verticem extuliſſet,
Sparſis protenus expedivit undis
Fluxos pectine gemmeo capillos:
Mox cum littoribus recepta primis
Toto ſe Dea baltheo videndam
Ridens attonito dediſſet orbi;
Statim lumine puriore Phœbus
Cinxit tempora, flammeumque vultum.

Inceſ-

Inceſſitque recens Deos voluptas,
Et toto æthere gaudium reluxit.
Dum Cornelia mergitur, videtur
Inviſo Venus excidiſſe mundo:
Et tot gaudia, totque amænitates
Doris fluctibus omnibus reſorbet.

IV.

STabat in exſtincta defigens lumina gnata
Vultum verendis fletibus
Voſſius, & gemitu diducens pectora grandi.
Iuxta pudica Iunia
Vt fuerant adſtricta gelu, liventia membra,
Et ora morte pallida,
Fratribus oſtentans, accurrentique ſorori,
Et imbre largo perpluens,
Inviſam glaciem deteſtabatur, & undas
Crudelis autores necis.
Sic Priamus ſciſſos deturpans pulvere canos,
Querente juxta conjuge,
Troilon ante annos raptum, Phrygiæque ſorores
Fratrem popoſcerunt Deos.
Deflexit livor, cum tam crudelia vidit,
Innoxiuſque tranſiit.
Scilicet invidiæ vacuum hoc modo tempus habebit,
Quod Voſſius lacrimis dabit.

Vin-

VINDEMIAE
ANNI
cIɔ Iɔ CXXXVIII.

Digitized by Google

Clariſſimo Viro

IOHANNI EREDERICO GRONOVIO.

S. D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

Mitto ad te fructum otii nuperrimi, quod indulſeram mihi poſt tantam ſtudiorum auſteritatem. Noſti licentiam vindemiarum, quando inter rorantia pocula & cogitare quidvis, & loqui fas eſt. Pleraque autem, quæ hic ſcripta ſunt, dum vel inter racemos verſor, vel circa præla circumagor, provenerunt. Adjunxi de amoribus meis aliqua. Drama enim Liberi patris nauci non eſt ſine hoc epiſodio.

εἰ δ' ἄλις ἔχοι
Κύπρις, οὐκ ἄλλα θεὸς
Εὔχαρις οὕτω,

Iuxta Euripidem. Habes itaq; ut adſolet, ſeria, jocos, gaudia, querelas, multa amatoria, quædam non ſine ſtomacho, excitatioris ſpiritus aliqua, tenuia iterum & abjecta plurima: deniq; univerſum Bachi choragium. Ad te autem eundum ideo fuit, quod optime noſſes, quam ego illam quaſi quãdam laſciviam, quæ in verſu conſpicitur, ad mores nunquam, aut facta transferam. Sæpe enim mentior ipſe mihi; & ille mortalium omnium ad amandum ineptiſſimus, tantiſper dum carmen cantillo, in amoris quadam umbra verſor. Quo exacto, nec Veneris unquam, nec Lycoridis

ridis

ridis in mentem venit: poſt profligatum poetices eſtum, etiam Amore ejecto, αὐλῷ λαμπάδι, καὶ τόξοις. Itaque ad ſtudia ſevera revertor fronte non minus contracta, & gravi, atque adeo haud paullo felicius, quam plerique, qui ad bonas artes tractandas ſolum ſupercilium adferunt. Vale. Coloniæ ad Rhenum. Menſe Octob. Anno cIↄ Iↄ CXXXVII.

VINDEMIÆ

Anni CIↃ IↃ CXXXVII.

Sive Iambus familiaris,

Ad IOHANNEM FREDERICVM GRONOVIVM.

DVm tu ſodales inter, & dulces libros,
Amice Iane, glorioſa tempora,
Et otium tam liberale dividis;
Qua principalis Haga formoſum nemus
Tectis obumbrat, adjacentibuſq; agris
Tradit fluentem mille rivulis aquam:
Me vinearum ſplendidis receſſibus
Vindemialis annus abdidit, manu
Thyrſos gerentem, & pervicaces Thyadas
Hinc inde totis concitantem collibus.
Ergo tumultum civitatis Vbiæ
Mutamus agris; auriumque tædium,
Quas perſonante ſiſtro, & ære tinnulo
Obſurduiſſe oportuit, ſilentibus,
Niſi quatenus aves garriunt, ſilvis damus.
Ergo ſolutus omnibus moleſtiis,
Et expeditus, & meus, pedibus traho
Quas litigator Proculus lites ſerit,
Quas lubricus nodos Sabinus implicat,
Tricas juventæ, legulejorum cruces,
Et inquieti triſte pabulum fori,
Latrantiumque rabularum nænias:
Queis immorati, immortuique ſedimus
Æſtate tota. Vultus in nubem coit,
Et larga ſumma fronte ruga ducitur:
Illa explicanda eſt liberali ludicro,

Et

Et quando fervet omnibus Bacchus cadis,
Etiam eluenda eſt liberali poculo.
Sed quo loco, quibus vagemur montibus,
Quo comite, quæris, quomodo exeant dies,
Quæ ſtudia pingui miſceantur otio?
Dulcis Gronovi, paululum amotis libris,
Audire cuncta ſi vacat, cuncta audies.
Ingens ruentem pagus ad Rhenum jacet,
Honſam vocarunt. cauſa nominis latet.
Antiquitatem ſaxa collapſa arguunt,
Et ſparſa longis tractibus gurguſtia,
Connexa quondam, junctaq; invicem ſibi,
Penes colonos ſi vetuſtatis fidem
Supereſſe cenſes. Cum relinquis Vbios,
Ripam legendo, ſextus hic jacet lapis.
Iter eſt diei, ſit licet contractior,
Vecto quadrigis navibus bidui eſt opus.
Quod concitatus fluvius obviam venit,
Et flexuoſum vorticem advorſum trahit,
Nautas fatigans, atque navales pedes.
Sin pergis ultra, ſextus eſt rurſus lapis,
Famoſa quà Moſella Rheno jungitur.
Sic medio utrinque limite Honſa proſpicit
Coloniam illinc, inde Confluentiam.
Septentrioni, Cæciæque flatibus
Obtendit alta montium cacumina,
Iugumque ſepticolle, toto vertice
Nubes opacas provocans, & ſidera.
Hoc imperatrix Roma debuit loco
Late tremendum tollere in cælum caput,
Orbique leges ſede de tanta dare.
Hoc fonte primo devolutus incipit
Videre Rhenus, quaq; pergit, quas poteſt,
Conducit undas, donec incitatior
Montes ſalutat ampliore flumine
Tribuſq; fertur alveis, & inſulas
Molitur. Vnam virgines ſacræ colunt,
Fano puſillo, ſed venuſto conditæ;

Digitized by Google

De nocte ſemper tinnientes, & die:
Mareſque crate ſubmoventes ferreo.
Niſi pſeudothyro forte ſecreto venit,
Qui dedicata victimam tentet mola,
Mollis camillus, ſacra facturus domi.
Ego non vacabam ſingulis intendere, aut
Examinare ſanctitatem virginum
Rimas per omnes. Prætuli diſcurrere
Immiſſus altis montibus. Stat ardua
Rupes Draconis. Illa Rheno proxima,
Oſtentat arcem ſemidirutam procul,
Tergo, atque fronte ſaxea, & pede ſaxeo.
Hinc plurimus devolvitur templis lapis,
Et atriis ſumptu ſtruendis regio.
Fuit voluptas latomorum fabulas,
Dum pone montem rudia ſaxa levigant,
Spumante cyatho provocare: Quam vides,
Hoſpes, cavernam, montis in medio ſitam,
(Et eſt caverna montis in medio ſita,
Profunda, laxa, exaſperata cautibus)
Apud priora ſecula incoluit draco,
Viſu tremendus, arduum attollens caput.
Olli prolixum ſanguine, & flammis latus
Arſiſſe fertur: ſquameum dorſo nemus
Totos trecentos patuit in longum pedes.
Luminibus ignes abſtitere, & igneum
Manare viſum eſt flumen atris faucibus.
Quo late aduſtum, quicquid hic campi ſitum eſt,
Nec Cereris olim, nec ferax Bachi fuit.
Quin & colonos triſtis adflavit lues.
Ibat Menalcas pulſus antiquo lare,
Et mæſta juxta Phidile, vaccam trahens
Fortaſſis unam, ſordidoſque bajulans
Sinu puellos. Qualis exhauſtis venit
Bello perenni ſolitudo gentibus.
Sed navigantibus incubuit infeſtius
Ferale monſtrum. nulla tranſiit ratis
Intacta, ſive concitatis undique

Obruc-

Digitized by Google

Obruerit undis, ſive flammis mergeret.
Quæ dextra cladem tam nefandam averterit:
Quis diminuerit ictus infandum caput:
Aliquiſne divûm rebus humanis opem
Tulerit ſuperne: ſive mortali manu
Facinus peractum eſt glorioſum: autor latet,
Laudiſque tantæ nobili fructu caret.
Nomen relictum eſt: cætera involvit dies.
Saltem annui, leviterque diduxi genas,
Ne quid viderer credidiſſe perperam:
Novumque cyathum liberatori dedi,
Diviſque tutelaribus ſacri loci.
Qui deinde ſequitur, eſt priore cultior,
Lenique clivo ſurgit, editior tamen
In fronte turris exſtat, huic nubes ſuum
Dedere nomen, quas adæquat vertice.
Vltra intuenti mons Leonis ſe objicit;
Pulchrum cacumen pene dicas circino
Manum peritam levigaſſe verticem,
Arcique deſtinaſſe, quæ toti jugo,
Media inter omnes, omnibuſque excelſior,
Velut imperante præſidet faſtigio.
Quod præter illos montium circa ſitum eſt,
Numerum arbitrare. inglorii cuncti jacent.
Atque his, amice, collibus Bacchus tuum
Tibi ſodalem mille delitiis fovet,
Multo revinctum pampino mollem comam,
Satyriſq; permixtum, & tenaces fraxinos
Vertentibus manu potente Thyaſin.
Non aliud æquè Libero patri jugum
Placuit decoris veſtiendum vitibus.
Nec aliud æque dulce nectar fortibus
Prælis reſudat, & quod incertam magis
Rinckoviano guſtui palmam facit.
Adeo venuſtus otiaturum locus,
Neque abſtinentem, cum favet faventia,
Inter ſodales vinnulos, venuſtulos,
Miti Lyæo ſauciare tempora,

Digitized by Google

Sola illecebra dulcis allectet meri:
Me cauſſa gravior traxit, & magis intima
Amænitas. Fateor, Gronovi, non queo
Excutere toto pectore antiquum malum.
Nondum puellas deſtiti ſectarier.
Hoc grande vitium eſt, quo carere me nego.
Hic ille nimbus, qui pueritiam rudem,
Mox & juventæ lubricum tempus meæ,
Exercitatum, & inquietum, & mobile
Verſavit uſque, ut turbinem pueri ſolent:
Qui circumactus pertinaci verbere,
Si paululum deerret extra ſemitam,
Sæpe implicatur floribus, ſæpe & luto.
Sed quando manes quoque perpetitur ſuos,
Recteque ludus aliquis ætati datur;
Negotioſus dum fritillus plurimis
Inſaniente perſonatur alea:
Puella me nec indiſerta, nec loquax,
Plorare juſſis ante limen æmulis,
Oblectet intus. Sed quid attinet tibi,
Homini venuſto, nec timenti, cum vacat,
Aliquo lepore temperare ſeria,
Probare cauſſam comitatis mutuæ,
Et oſculorum, & innocentis Cypridos?
Ergo reſumo, quod prius reliqueram.
Vt hunc receſſum vinearum quærerem,
Non æque odorus floſculus Bacchi patris,
Quam blanda Cypris, atque præpotens Amor,
Religanſq; comptam more Najadum comam
Leviter Lycoris innuendo perpulit.
Illa Vbiarum de puellarum ſinu
Avulſa, ſilvas, montiumque optaverat,
Vmbras opacas, obſecuta tempori
Felicis anni. Verum, ut eſt non invida,
Vindemiari ſola noluit ſibi.
Me vis amica non repugnantem abſtulit.
Quippe imparem, ſi lubricis amplexibus
Minetur illa, & ſuavii intentet metum.

Habere

Habere ſenſum gaudii mei potes,
Si baſiorum mille ſexcentas ſtrues,
Segeteſq; totidem melleorum amplexuum
Inter ſuſurros delicatos cogites:
Cum flore virgo pullulaſcens primulo,
Inter pudorem, audaciamque fluctuans,
Genis amorem ſpirat, & totis labris;
Modiceq; flexo, & divagante lumine
Quiddam protervum nictat, atq; flammeum:
Patiturque, quantum lex, pudorq; ſiverint.
Fuge ſuſpicari: Non amamus nequiter.
Et otioſi, & hac licentia loci,
Hinc inde flammis utriuſque mutuis,
Cuſtode nullo, quin & uvidi mero,
Luſus amænos innocentes ludimus.
Hanc legem, amice, moribus dixi meis:
Sponte abſtinere, non coactum, turpibus;
Nec, cum puellæ volvor in ſinu meæ,
Obſcænitate gaudium corrumpere.
Ergo inter altas vitium propagines,
Pulchros corymbos ingerentes mutuo,
Et, ſi qua forſan uva pendet, quam procul
Vel involutam pampino, vel negligens
Vindemiator amputare diſtulit,
Prædam te relictam, amabilemq; invadimus.
Mox ruſticorum divagati per caſas,
Vel circumactas promovemus machinas
Auxilio inani, debilique induſtria:
Vel lene tortis dum fluit prælis merum,
Sorbemus avidi, ſæpe ſuppoſita manu:
Vel liberalius æſtuante de cado
Trahimus Lyæum fictili ciborio.
Donec Lycoris velitando ſuaviter
Cyathis minutis, floridis ſentit genis
Ducens calores, & verecundo Deo
Percuſſa modice, montibus ſe denuo,
Nemorique reddit, & reclinatum caput
Meo reponit in ſinu, donec levis

Inter pudica baſia obrepit ſopor.
Tunc me relictum ſcilicet ſoli mihi,
Et exputantem gaudii cumulum mei,
Per otium millena rerum diſtrahunt,
Animuſq; fertur mille per ſpecies vagus.
Illic reſumo, quicquid ætatis retro eſt,
Annos inertes, per ſilentium mihi,
Ingloriosque ſponte tranſactos mea.
Illic, quod inſtat temporis, ſi inſtat modo,
Præcipitur animo; quamq; nec ſortem meam,
Nec indolem fortuna magna conſequi,
Aut fama poſſit. Inde ſubducta ſatis
Ratione tota, cogitandi hæc ſumma ſit:
Quando nec ardor ingens, nec impetus
Hoc imperitæ ſegregat plebi caput,
Atq; aliquod aſtrum me malignius premit;
Præcone fama, & dignitatum præmiis
Æqua carere mente, quod ſupereſt, queo.
Et quantulum illud ævi in orbe degitur?
Quamq; incitatis paſſibus tempus fugit?
Idne omne chartis involutus perpetim,
Propter minutæ gloriæ pauxillulum,
Miſero labore indeſinenter extraham?
Vitæque fructus abdicem potiſſimos:
Dulces amores, & ſodalem Liberum,
Amænitatis architectum muſteum,
Illudq; pulchrum per vireta vallium,
Per imminentes vineas vagarier?
Nemo latentem laudat: at nemo invidet
Inglorio. Facile reſigno, ſi neque
Immunis à livore fama provenit,
Et omnium ludibrio ſtatim patet.
Me delibutum amplexibus Lycoridis
Invidia tranſit. vel quod umbra abſcondidit,
Et ulmus illa: vel quod indignum abjicit.
Neque inquietas pertimeſco nundinas,
Liceat trecenta prodeant volumina,
Nunquam erudita vapulamus à manu.
Aut ubi calentem, & prurientem dexteram

Semel

Semel experitur ſemidoctus puſio,
Meraſque ſatyras, & cavillos parturit;
Nos nulla rabies, nullus admordet jocus.
Nemo aut acumen languidum, aut ſententiam
Fractam, minutam, ſaltitantem excogitat,
Vt me propinet ſimiis ſodalibus,
Sociiſque aſellis publicum ludibrium.
At morionum nænias tollet dies:
Tollet, Gronovi. Verum ego auferar prius,
Nullumq; mecum gloriæ ſenſum feram.
Functi prolixis interim moleſtiis
Tandem ſuprema veſpera componimur:
Idemq; pulvis clarum, & obſcurum tegit.
Te ſummus ardor per ſcientias rapit,
Tu mentem inundas literarum flumine,
Quicquid ſciendum proſtat, in numerato habes.
Atqui id labore conſtitit magno tibi,
Vt nomen aliquod, atq; famam quæreres.
Quam nugivendus Olus, & procax Lycus
Ineptiendo maximam multo auferunt.
Qui cum volumen ſive priſcum, ſeu recens,
Pluteo patente faſtuoſus decipit,
Poſtquam revolvit paginas ægre duas,
Limiſq; rapuit lemmatum primordia,
Mox cilium utrumq; ad uſque ducens tempora,
Multaque frontem exaſperans prudentia,
Simul pitiſſans dulce ſuaviter merum,
Inter venuſtos, & comatos troſſulos
Heros diſertus altum, & arduum ſapit,
Et inſolentes dividit ſententias.
Ne jam ſtruices, plauſtra, carrucas tibi
Memorem librorum, queis librariæ tument,
Hiantis eſcam plebis atque fercula:
Quales trecentos edolat noſter Lycus,
Et eruditus Olus unico die.
Turgent tremendis vocibus prooemia:
Cumque incipit, tonuiſſe ſub terra putes.
De cætero languet, beatus unice

Scopis ſolutis, atque Homerica nive.
Cum literarum gloriam invadat ſtupor;
Faſtuſque, ſola tutus impudentia,
Rapiat laborum præmia, & mentis bonæ:
Ignotus eſſe, mi Gronovi, mavelim;
Ne cogor Olum, & æmulum Lycum pati,
Tentare quidvis, & docere callidos,
Audaciamque præferentes indoli.
Abjicio famam, quando & immeritis datur.
Noſter Gronovi, hæc inter exigitur dies.
Et jam Lycoris preſſius tractans manum,
Victo ſopore, longiores præmonet
Vmbras propinquis projici de montibus.
Ergo receptis ruſtico gurguſtio
Rugoſa inemptas Baucis apponit dapes,
Deque intima affert Tityrus cupa merum.

VIN-

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII
ELEGIARVM
IVVENILIVM
RELIQVIÆ.

Digitized by Google

Nobiliſsimo Iuveni

NICOLAO HEINSIO DAN. FILIO,

S. D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

QVam effuſe me ames, mellitiſsime Nicolae, cum antea ſæpe coram, tum tot in abſentem collatis beneficiis oſtendiſti. Puta jam eſſe ante oculos illa tempora, quibus gratiſsima conſuetudine, ac pene contubernio tecum, & cum parente incomparabili conjunctus maximum vitæ meæ fructum cepi. Quam voluptatẽ quoniam fatorum meorum malignitas aliquandiu eripuit mihi: id operam dedimus hactenus, mi frater, ut illa animorum noſtrorum conjũctio mutuo affectu aleretur. Saltem exiſtimationis meæ intereſt, ut ab illa domo non deficiam, quam ingreſſus, primos impetus ſenſi honeſta omnia, & præclara cogitandi. Itaque ab illo fonte ad aliquam hominum famam hactenus profluxi. Quam facilius tueri potero, ſi ingenio tuo innixus, nominis celebritatem ex amicitia noſtra petam. Nota eſt mihi indoles tua: notus animi vigor, ad clariſsima quæque iturus.

τὴν φύσιν δ' ἔδειξας, ὦ τέκνον,
Ἐξ ἧς ἔβλαστες.

Quæ enim, Deus bone, carminum tuorum dulcedo? Quam molles, quam enodes elegi? Quam robuſtus

Iam-

Iambus, & delicatus? Fatebor tibi, frater dulciſsime: mea me egeſtatis pudet. At vero quam tenera ætas? qui anni? Non inveniam fidem fortaſſe, ſi te primo flore pubeſcentem omnes optimorum Autorum elegantias, omnia μυροθήκια invaſiſſe dixero. Tu vero, quæ tua eſt urbanitas, bellum me quidem præconem dices, ſed ſuſpectum. Sollicitaſſe enim benignitatem tuam videbor, quæ in me prædicando modum non habet. Elegias iſtas, quas vides, ſcripſi cum ejus ætatis eſſem, qua tu jam ſenes provocas.

Σοὶ τὸ γέρας πολὺ μεῖζον, ἐγὼ δ' ὀλίγον τε, φίλον τε
Ἔρχομ' ἔχων.

Potui equidem facile vagientem partum in ipſis cunis ſtrangulare. Sed noſti parentes plerunque nugis infantium arridere. quorum garrula & balbutiens lingua ipſa etiam offenſione fit dulcior. Quaſdam tamen reſecui: cætera, ut erant, apparere paſſus ſum. Eas autem idcirco tibi inſcripſi, ut agnoſceres, puero mihi conatum non defuiſſe quondam: tibi etiam ſuperfuiſſe ſucceſſum.

VINCENTII FABRICII

ELEGIARVM IVVENILIVM RELIQVIÆ.

ELEGIA I.

Dulciſsimæ Phyllidi ſuæ parentat.

EXactis alter jam volvitur orbibus annus,
Et memini menſes præteriiſſe duos;
Cum tibi defunctæ ſtruxi, pulcherrima Phylli,
Abſenti fictum, triſtia dona, rogum.
Indomitus ſurdis quem nunc præterfluit undis,
Æquoreas præceps qua petit Albis aquas.
Quod potui, tumulum decoravi floribus omnem,
Et fudi in tenuem mollia vina pyram.
Et violas ſparſi, & ſignavi carmine buſtum:
HEIC. SVA. DEFLEBAT. GAVDIA. FABRICIVS.
Hæc diva, ô virgo, cæleſti ſede recepta,
Conſcia triſtitiæ ſint monumenta meæ.
Hæc vultum referant, moreſque, piumq; pudorem,
Quæque mihi dotes, & placuere Deo.
Heic ego feſtivos oculos, mea vita, recordor,
Autores flammæ, delitiaſque meæ.
Hæc referant illam, quæ Dîs præſentibus olim
Suſcepta eſt nobis, non violanda, fidem.
Cum tibi juravi, ſemper ſine amore futurum,
Si raperent avida te tua fata manu.
Adfuit, ac præſens, ut erat, mea verba notavit
Ipſamet, & memori condidit aure Venus,

Quam

Digitized by Google

Quam brevis illa fuit miſero,& non vera voluptas!
Quot ſpes,me miſerum, mors rapit ante Diem!
Ante diem jacet ah mea vita,nec ante videnda,
Quam premat immitis hoc quoque Parca caput.
Nec mihi jam ſolitis collum tetigiſſe lacertis,
Adſpectuque licet, colloquioque frui.
Nec mihi. ſed quorſum nequicquā ingrata revolvo?
Nil licet.æternum flere,dolere licet.
Heic ego nunc ſedeo mæſta evinctus cypariſſo.
Conveniens noſtris luctibus arbor ea eſt.
Heic ego collapſum ſtudeo componere buſtum,
Dirutaq; in formam colligo quæque ſuam.
Inde importuno dejectos turbine flores
Sede ſua moveo,ſubſtituoque novos.
Arentes illos,& jam langueſcere juſſos,
Quatenus à pluvia deſtituuntur aqua,
Irrigat à noſtris qui depluit humor ocellis,
Humor abundantis qui fluit inſtar aquæ.
Quæq; datas tumulo,ſignum ferale,cupreſſos
Murmura,quæ ſparſas perſtrepuere roſas,
Nulli cauſſantur venti. ſuſpiria noſtra
Hos agitant motus,& leve murmur alunt.
Denique,quæ bibulas vox perſonat undique ripas,
Eſt teſtis luctus,indiciumque mei.
Triſte canit mecum viridi Philomela ſub umbra;
Et lacrimas flenti commodat una ſuas.
Ipſe meo fletu,mæſtos miſeratus amores,
Albis in indomitis fluctibus ingemuit.
Ingemuit,ſed mox;quo tandem pertinet,inquit,
Tædia ad ingratum plurima ferre rogum?
Semper eris ſine amore miſer.ſed ſtultior ille eſt,
Mortua qui infelix ad ſua vota vocat.
Decrepitos lugere juvet. florentior ætas,
Dum licet,& fas eſt ludere,ſemper amet.
Ipſe ego ſi fluctus,quos perdo, perire dolerem,
Cauſſa foret lacrimis quælibet unda meis.
Vnda undam ſequitur:ſi defluit illa, ſequetur
Altera,materies quælibet apta mihi eſt.

Digitized by Google

Non omnes eadem rapuerunt fata puellas.
Crede mihi, ad tantum non facit una gregem.
Crede mihi, in ſilvis quæcunque exſcinditur arbor,
Non, quod ubique vides, abſtulit una nemus.
Iam quoque neſcio quæ mentem formoſula flexit,
Et potuit ſenſus ſollicitare tuos.
Perge modo, hæc illa eſt, quam non contemnere poſ-
Et tibi quæ placeat, quælibet hora dabit. (ſis.
Non eſt quod Venerem, pueriq; Cupidinis iram,
Aut triſtes metuas in tua fata Deos.
Divitiæ cupidis, & opes addantur avaris:
Et tamen iratas perge timere manus.
Non minuit ſua regna Venus, nec amoribus ullis
Invidet. hinc famam colligit illa ſibi.
Dixerat. occuluit tremulum caput abditus undis.
Nec potuit curas ille movere meas.
Hoc juvet, & lacrimis, & queſtibus indulſiſſe.
Lætitiæ tumulus meta ſit iſte meæ.
Heic me perpetuis confectum fletibus olim
Condite, & has noſtras, ô ſocii, exuvias.
Tu, Lundi, carmen triſti ſuperaddito buſto
Aut hoc, aut liceat ſubſtituiſſe tuum:
FABRICIVS. PHYLLIS. PIETAS. CONSTANTIA. AMANTVM.
QVATVOR. HEIC. VNO. CLAVSA. IACENT. TVMVLO.

ELEGIA II.

Ad BRODERVM PAVLI IC.

Poſt decennium in Holſatiam bellis multiſque cladibus afflictiſſimam revertentem.

QValis mæſta parens natum inter ſpemq;, metumque,
Abſentem lacrimis invocat uſque ſuis.
Temporaque optati reditus, ſoleſque propinquos
Anxia ſollicitis dinumerat digitis.

Sæpe

Sæpe timet, totieſque ſibi quem dixerat olim,
Promiſſum queritur præteriiſſe diem.
Quiq; nocent caſus, quæcunque pericula quondam,
Præcluduntq; vias, injiciuntque moras,
Hæc ſibi fingit amans, & in omni pallida ſorte
Angitur, in luctus ingenioſa ſuos.
Sive viæ valido obſeſſæ narrantur ab hoſte:
Creditur hoſtili procubuiſſe manu.
Sive venenatos ſpargunt contagia morbos:
Creditur infeſtæ præda fuiſſe neci.
Omnia cum metuat, ſperat tamen omnia demens.
Fluctuat, ut dubiis acta carina Notis.
Ipſus donec adeſt, & præſens omnia tollit
Filius adventu ſpemque metumque ſuo.
Accurrit genitrix, natique infuſa lacertis
Oſcula per longas dat repetita moras.
Et trepidat miſera, & media inter gaudia plorat.
Vix quoque tunc credit non ſibi verba dari.
Sic te, divinæ Themidis, Brodere, ſacerdos,
Accipiet dulci patria terra ſinu.
Gaudebitq; ſuis tandem retinere lacertis,
Quem toties tanta flevit abeſſe mora.
Scilicet undecimæ redierunt frigora brumæ,
Fecit & autumnos Pleïas orta decem:
Poſtquam longinquas, vir magne, remotus in oras
Liquiſti patrii dulcia rura ſoli.
Nunc demum patrioſq; lares, Cimbroſq; reviſens,
Ingratæ recoles tædia longa viæ.
Et velut Ægëis cum navita feſſus ab undis
Proſpicit optatas non procul eſſe caſas;
Lætatur, ſociiq;, & dant caræ oſcula terræ,
Dulichius patriæ quæ dedit ante ſuæ;
Sic quoque poſt viſas per tot diſcrimina gentes,
Mollia concipiens otia, lætus eris.
Cum tamen accipiet reducem te Cimbrica tellus,
Turpis erit, ſciſſo conſpicienda ſinu.
Scilicet immunda eſt: ornatus abſtulit hoſtis,
Nunc tegit albentes trita lacerna pedes.

Forte tument oculi: ſignum eſt, fleviſſe ſuorum
Direpta hoſtili pignora chara manu.
Squallebuntq; comæ, & concretæ ſanguine veſtes:
Vulnera perjuro plurima ab hoſte tulit.
Eſt tamen in vultu gravitas, & vivida virtus:
Illaque vis animi, quæ fuit ante, manet.
Vade age, nataliſq; ſaluta rudera terræ:
Vade age, candidior proximus annus erit.

ELEGIA III.

In Mopſulum,

Qui ſibi adoleſcentiam objecerat.

VIdi, qui noſtros in crimine poneret annos,
Quodq; juventutis flos mihi primus erat.
Qui, coma quod rigido non ſubſit plurima mento,
Culpet, & hoc vitii nomen habere putet.
Di faciant, poſſit tantum illud carpere livor,
Vltima delicti ſumma ſit iſta mei.
Nil mihi præterea, quod dicat crimine dignum,
Invidus objiciat: nec reperire queat.
Scilicet hirſuta ſpecioſus, Mopſule, barba,
Nil præter ſetas, quod videatur, habes.
Cætera ſat ſtupidus. nil tot reperitur in annis,
Quod nequeat barbam dedecuiſſe tuam.
Eſt aliquid primæ laudem quæſiſſe juventæ.
Eſt aliquid plebi non placuiſſe tuæ.
Nos ætas non magna, & vix dum proxima pubes
Recta ad Pegaſeas impulit ire Deas.
Sive error, ſeu dulcis ea eſt perſuaſio mentis:
Propitio videor ire per iſta Deo.
Iudicio placeam, nec cætera quæro, VagetI.
Hoc mereant precium carmina teſte ſuum.
Is mihi, cum lepidus noſtro blanditur amori,
Extollit venam, verſiculoſque meos.
Sive id judicium eſt: ſive, ut magis exciter, inde eſt:
Egregios ſtimulos, nec leve calcar habet.

Phœbe

Phœbe pater, faveas. potero creſcentibus annis
 Cum reliquis curſu vatibus ire pari.
Nil mihi vobiſcum eſt, queis vulgi quærere laudem
 Exiguas tanti eſt: me meus ardor agit.
Ardor, & erectam rapit ad ſublimia mentem:
 Obveniat votis dum mora nulla meis.
Scilicet hæc rata ſunt: & ſternuit omen Apollo:
 Signaque præmittunt ex Helicone Deæ.
At tu, qui noſtros attente inquiris in annos,
 Cui ſoli potui tardius eſſe ſenex.
Crede mihi, hirſuto ſi qua eſt prudentia mento:
 Præcipuus poterit vel tuus eſſe caper.

ELEGIA IV.

Poetica valedicit.

NIl mihi vobiſcum eſt: ſat luſimus: ite Camænæ.
 Fabricius veſter non erit: ite Deæ.
Gloria non tanti eſt, aut vani munus honoris:
 Non tanti eſt vulgum poſthabuiſſe ſibi.
Suſtineant alii famam, titulumque poëtæ,
 Et nectant capiti laurea ſerta ſuo.
Me mea fata, Deæ, retrahunt à laudibus iſtis:
 Et pudet in veſtris nomen habere ſacris.
Vulcanum orabo, vel, quæ tenet æquora, Tethyn.
 Excipiat verſus ille, vel illa meos.
In cineres abeant teneri, mea carmina, luſus.
 Ardebunt medio rectius illa foco.
Dicite, quid prodeſt, veſtras, Muſæ, ire per artes?
 Adjunctos ſtudiis noctibus eſſe dies?
Innocui vates ſi ſunt ludibria vulgi;
 Et nihil his ſacris vilius eſſe poteſt.
Si de plebe aliquis, ſi mundi turpis agyrta,
 Poſſideat tantum plurima, major erit.
Scilicet hanc fæcem decuit præferre poëtis?
 Et ſacri vates non pia turba ſumus?
Vidimus è vulgo ſordentes pluris haberi
 Quoslibet, & noſtras nil valuiſſe Deas.

Scili-

Scilicet has Veneres formoſa pecunia ducit.
Nemo volet vatem quærere, quæret opes.
Aſcræus ſi forte ſenex, quas ante ſolebat,
Adducat patrias ex Helicone Deas;
Si zonam attulerit dives, nummoſque, placebit:
Sin minus: ô alias quære poëta Deas.
Ah pereat, qui primus opes, & divitis auri
Pondera divino fecit honore coli:
Virtutem præferre aliis, poſtponere nummis:
Turpiaque inviſæ ponere templa Deæ.
Is primus molli corrupit ſecula luxu;
Ex illo vates ſordida turba ſumus.
Phæbe vale, Clariæq; Deæ: nunc deniq; lucrum
Quærimus; à veſtris exulat illud aquis.
Quæq; aliquo precio ſe poſſint vendere diſcam:
Venduntur minimo carmina: Phœbe vale.

ELEGIA V.

De formoſa virgine Holſata, deformi marito nubente.

QVis mihi nunc cæcum non affirmabit Amorem,
Aut oculos blandi tegmen habere Dei?
Non fuerit quondam: poterit nunc eſſe videri
Talis, & in multa cernere luce nihil.
Dicebam: Calle, ſola es formoſa; tuumque
Non dedignetur Iupiter ipſe torum.
Oenonæ potuit forſan præferre Lacænam
Priamides: poſſet non tamen ille tibi.
Et quam germanæ voluit præponere Theſeus,
Debuerat formæ poſthabuiſſe tuæ.
Aut tunc vixiſſes, aut nunc ſuperaret uterque;
Perfidiæ fueras cauſſa futura novæ.
Quam timeo, ne non te quiſquam dignus haberi
Poſſit, & hanc formam demeruiſſe ſibi.
Dicebam. Potuit Therſites. Numina teſtor;
Nil erat iſtius turpius ore viri.
Aſpera frons: facie nil fædius: inſpice vultum,
In vultū maculas, ſigna bibentis habet.

Cæte-

Cætera deformis. Tamen hic tuus, optima Calle,
  Hic tuus, infelix virgo, maritus erit?
Hunc ulnis, formoſa, tuis, nitidiſq; lacertis,
  Et potes in tepido blanda tenere ſinu?
Iſte tuos oculos, & candida colla prehendit?
  Iungit & ad roſeas ſordida labra genas?
Iſte (pudor, Calle, tua lactea pectora tangit?
  O alia fuerant illa premenda manu!
Iamque toro junctus tecum, formoſa, recumbet?
  Quid facis? amplexus inquinat ille tuos.
Adſtitit irato ridens Venus: utque locuta eſt,
  Protenus in cælo nulla procella fuit.
Si turpe eſt, deformi, inquit, nupſiſſe marito,
  Dedecus hoc primum debuit eſſe meum.
Mulciber Ætnæi fuligine ſordidus antri,
  Quo magis eſt fædus, gratior uſque venit.
Si neſcis, dulce eſt, ſi quid maculamur amantes:
  Et juvat in multa labe videre genas.
Immundus fuerat, fuerat deformis Vlyſſes:
  Penelope charus non minus ille ſuæ.
Hujus in amplexu quæ non invita jacebat,
  Et ſemper voluit, filia Solis erat.
Quæq; annos ſeptem poſſedit, blanda Calypſo
  Non potuit juſſu non retinere Iovis.
Fœmineum eſt vultus, & formæ noſſe decorem.
  Sit nævus pulchri multus in ore viri.
Quæq; marem monſtrare queant, non dedecus eſto,
  In facie tumidas mille videre notas.
Priamides paſtor ſolitus formoſus haberi,
  Sed tamen in reliquo corpore mollis erat.
Crede mihi, ex illa magna eſt fiducia fronte:
  Et licet à facie non dubitare virum.
Horridus, & minime pulcher Tirynthius heros
  Denſatas aluit cruda per ora comas.
His tamen à fæda maculatis cæde ferarum
  Mæonis haud timuit oſcula ferre genis.
Sæpe aderat crebra cum labe: decentior ibat.
  Deformis multo ſanguine: pulcher erat.

Adde.

Digitized by Google

Adde,quod obſcura velantur talia nocte:
Nec pudor eſt oculis oppoſuiſſe manum.
Quicquid erit:tanti non ſunt ſine crimine vultus,
Formaque,ſi chare venditur illa nimis.

ELEGIA VI.

Natalis XVIII.

Ad Amicos abſentes.

FAbricii natalis adeſt:& abeſtis amici,
Pectora præ nivibus candida Sithoniis.
Nec licet ad poſitum præſentibus eſſe Lyæum:
Nec licet ad partes vina vocare ſuas.
Non fari bona verba,aut carmine ducere noctem;
Non mutare ſuis ſeria miſta jocis.
Omnia fata negant: patriis ego ſola in oris
Annua natali ſacra tuli Genio.
Solus ego,ſocii, noſtrum ſemotus ad Albim,
In patrios fudi mollia vina focos.
Vos fatum huc illuc noſtro ſubduxit amori.
Et cogor magna parte carere mei.
Leucoreas ſuavi veneratus carmine Nymphas,
Demulcet blando Lundius obſequio,
Non humilis vates. Petræus Norica in urbe
Iurgia clamoſi tractat,& arma fori.
Iungius ad patrium Muſas, ſua numina,Storam
Et ſilvas inter, & colit inter oves.
Heic volvent,dulces,antiquæ volumina, curas
Colligit æternas,& ſibi ſervat,opes.
Et tu Lunacriis pridem vicinus in oris,
Maxi,pars animæ non moritura meæ,
Tu nunc Lipſiades(hæc ſunt tua fata)Camænas
Eloquio poteris detinuiſſe tuo.
Audite,ô ſuperi, meq; iſta ſiſtite in Vrbe;
Et coeant uno corcula bina loco.
Intonuit lævum: quod poſco, convenit omen.
Vertice ſternutat Phœbus ab Aonio.

Et

Et mihi, neſcio quid, mens non ignara futuri
Speranti tacito ſuggerit indicio.
Interea, dilectæ animæ, ſalvete ſubinde,
Quo vos cunq; volet Phœbus abeſſe loco.
Salvete abſenti: cum fata, Deuſque jubebunt,
Quo nunc mente feror, corpore junctus ero.

ELEGIA VII:

Ad Poeticam redit.

DIcebam: valeat cum carmine carminis autor.
Aonides Divæ, non ego veſter ero.
Sperno leves hederas, puerilia munera vatum.
Area non noſtris illa teretur equis.
Dicebam, & teneros, mea prima pericula, verſus
Auſus eram triſti velle abolere rogo.
Et jam detuleram comburere. riſit Apollo,
Irritaq; infuſis omnia fecit aquis.
Vigant exigui luſus, ſi forte merebunt,
Et ſuperis viſum eſt, qui vetuere mori.
Scilicet in gnatos ſcelus eſt ſævire parentem;
Quæq; abolet fætum, non pia mater erit.
Nunc quoq;, qua fratrem Colchis ſæviſſima quondã,
Quaque tulit gnatos, eſt ſcelerata manus.
Impia convertit turpe in ſua viſcera ferrum:
Quæ peperit, prolem ſuſtulit illa ſuam.
Dî prohibete nefas. ſoboles mea vivat in annos,
Cauſaque ſit famæ quantulacunque meæ.
Nec, ſi non magno mihi curritur orbita Circo,
ſpectabunt noſtras nulla theatra rotas.
Pro modulo mea navis eat. ſi magna negata eſt,
Exiguus nobis per vada linter eat.
Tantum opto ſummos leviter guſtare liquores,
Hoc ſatis eſt. alii pocula plena bibant.

Digitized by Google

ELEGIA VIII.

In Nuptias

HERMANNI LATERI, IC.

Holſati.

VIx ſua poſt varios ſuſpenderat arma tumultus
Cimbrica, non tanto turbine digna premi.
Vix tumidum excuſſit modo non oppreſſa Gradivum,
Et rediit ridens in ſua regna Venus.
Cede meis Mavors, dixit Cytheræa, duellis.
Tellus iſta Deos non feret una duos.
Cede age, ſic nunquam noſtros Vulcanus amores
Impediat ſolitis, & mea furta, dolis.
Expetis amplexus? amplectere. baſia? fige.
In gremio eſſe? veni concubuiſſe? cuba.
Nec numerum quæras, mea lux, mille offero luſus.
Tota ſub imperio terra ſit illa meo.
Vtque libens facias, ſuccedent prælia bellis.
Cætera conveniunt: ſanguine noſtra carent.
Riſit, & eſt tanti, dixit Mars, vendere terras.
Et jam ſola ſuo regnat in orbe Venus.
Laſcivuſque novas nunc demum impune ſagittas
Spargit, & exultat reſtituendus Amor.
Et jam non ſolitas agnoſcit Cimbrica flammas.
Qui domibus fuerat, mentibus ignis adeſt.
Et jam multorum quæ viderat ante cruorem:
Multorum lacrimis ora madere videt.
Et vix illæſos, qui ſint ſine vulnere, cernit:
Inque animo pene quolibet hæret Amor.
Ardent innumeri. ſed non feliciter omnes.
Nec ſimile in læſo pectore vulnus alunt.
In lacrimis multi tantum ſuſpiria norunt;
Quos Venus, & dubio turbine ludit Amor.
Hei miſeros! ſi nulla venit medicina dolori;
Flammaq; non ullum tanta levamen habet.

Nec

Nec tamen excutiunt, qui primo inſedit, Amorem.
Si neſcis, ignes non movet ille ſuos.
Et poterit pennas forte amiſiſſe videri:
Cum primum invaluit, non volat ille puer.
Te quoq; Diva Themis, nuper, Latere, videbat
Ad dominæ vultus erubuiſſe tuæ.
Nec noſtri poterunt, inquit, ſubſiſtere alumni?
Et puer in populum jus habet ille meum?
Dixit; & ad teneram ridens converſa Dionem:
Tu quoque, ſi fas eſt, in mea regna veni.
Parce meos tantum crudeliter urere cives.
Sufficiat telis ſuccubuiſſe tuis.
Et placidos ignes, incendia mitia præbe:
Et non ille puer tetricus eſto Deus.
Annuit, atq; infuſa Deæ pulcherrima Cypris,
Plurimaq; admiſcens oſcula, dixit, erit.
Inde tuas creviſſe vides, vir maxime, flammas:
Sed quas affuſo nectare paſcit Amor.
Augeriq; novos, & gliſcere ſuaviter ignes,
Et non inviſo pectus amore premi.
Quem tua nunc virgo teneris complexibus auget,
Accumulatque novis uſque cupidinibus.
Cimbrica juravit: Neptunum teſtor utrumque,
Non eſt in regno pulchrior ulla meo.
Seu videas vultum? poterit Venus eſſe videri.
Seu mores: Pallas, vel tua, Phœbe, ſoror.
Hæc flexit formoſa, & mitia vulnera fecit,
Qualia Leda ſuo fecerat ante Iovi.
Hæc eadem, Latere, tuis incluſa lacertis,
Perſuaſa ad blandum Cypridos obſequium,
Ne prius effugiat jucundi vincula nexus,
Quam vulnus fecit quod tibi, tollat idem.

ELE-

Digitized by Google

ELEGIA IX.

Somnium

Ad IOACHIMVM PETRÆVM.

Altorphi viventem.

SI qua fides tenebris, & habet ſua numina ſomnus:
Eſſe peregrino captus amore potes.
Nec nihil illud erat, quod nuper imagine ſomni
Vidimus. heic verum ſi reperire licet.
A ſuperis erat ille ſopor. ne credere nolis,
Et qua prodierat, cornea porta fuit.
Nox erat, & nullum metuebant ſidera ſolem,
Noſtraq; erant ſolito membra levata toro.
Cum mens interea (nam quo non ſomnia ducunt?)
Acta eſt per varios, ceu aliena, locos.
Forte velut rediens, multoſq; vagata per orbes,
Viſa eſt à veſtris non procul eſſe jugis.
Norica ſublimi qua ſurgunt mænia ſaltu,
Magnificæque urbis nobile fulget opus.
Iamq; videt veſtri prope diſſita tecta Lycei:
Parva quidem, ſed quæ ſic quoq; numen habent.
A Muſis locus ille calet. procul eſte profani.
Non patet hæc quovis Vrbs adeunda pede.
Si quis ſenſus ineſt ſomnis, vel ineſſe putatur:
Heic ego Petræum quærere viſus eram.
Campus Apollineæ ſuberat cultiſſimus Vrbi:
In medio campi fons ſalientis aquæ.
Innocuas lauros paſſim, florumq; colores
Cingebat Paphiæ myrtus amata Deæ.
Heic mihi Petræus primis occurrit in herbis.
Nec ſolus: lateri juncta puella fuit.
Myrtea ſerta aderant, & candida veſtis utrique.
Fallor, an hic Veneris dicitur eſſe color.
Ille tamen leviter formoſæ infuſus amicæ
Ibat, & hærebat totus ab ore Deæ.

Qualis

Qualis in amplexu dominæ Tirynthius hoſpes
  Lydia per campos dicitur iſſe tuos.
Qualis & ad Xanthum, cum nondum Graja placeret,
  Iuncta ibat Paridi patria nympha ſuo
Si licet in ſomno: teſtor, Petræe, fuiſti
  Iræ materies, invidiæque mihi.
Acceſſi: nec enim tu reſpondere parabas:
  Porrexi dextram, nec tua juncta fuit.
Vt qui Gorgoniæ modo viderat ora Meduſæ,
  Protenus obriguit, & ſine mente fuit:
Sic tuus in dominæ ſtupuit ſine voce labellis
  Vultus inalbeſcens, pallidiorque nive.
Vix ubi Margaridos nomen, dominamq; pejorem,
  Inſtabili quondam federa pacta fide,
Cum primos ignes, & vulnera prima referrem;
  Viſus es offenſo ſigna dediſſe pede.
Cætera ſeu ſaxum. Tantum non dextra papillas
  Preſſiſſet, fueras hac quoque parte lapis.
Iamque ego dum tanto convitia quæro ſtupori,
  Teque ſubiraſcor dememiniſſe mei:
Ceſſat, & invitis decedit ſomnus ocellis.
  Sed tamen eſt animo pars bona fixa meo.
Et jam non dubito (nec ſemper ſomnia fallunt)
  Quin iſta tuleris vulnus in urbe novum.
Quin tua dicatur nunc barbara Margaris illic,
  Et rudis, & verbis ingenioſa parum.
Accedens formæ placuit ſolertia vocis,
  Quæque peregrino mollius ore ſonat.
Scilicet argutæ, Petræe, ignoſco puellæ,
  Cui præter faciem vox quoque lena fuit.

ELEGIA X.

Ad DAVIDEM CRAMERVM,

Natalis xix.

ECce meus Batavos viſit, patriaque relicta
  Ad ſua natalis tempora lætus adeſt.

Scili-

Scilicet à noſtro properans feliciter Albi,
Rhene pater ripis gaudet adeſſe tuis.
Et petit à domino conſueti moris honorem:
Invitatque manus ad ſua ſacra meas.
Accedas, Cramere; dies tibi dicitur iſte.
Fabricius Genio vina, tibique parat.
Vina ſuo Genio, genitale notantia tempus:
Et nova quæ pariant gaudia, vina tibi.
Scilicet hac ex luce fluentes ordinat annos,
Qua lepidum poſuit optima mater onus.
Qua mihi veridicæ, quas omnia fata ſequuntur,
Neverunt vitæ ſtamina prima Deæ.
Si qua fides, natum tremulis excepit in ulnis
Atropos, æternis de tribus una ſoror.
Et leviter digitis deducens vellera, dixit:
(Audierat, retulit quæ mihi dicta parens.)
Tu quoq;, blande puer, non inficiande Camænis,
Facunda Aoniis ora rigabis aquis.
Vive modo dilecte puer, gratiſſime Muſis,
Et patriæ quædam gloria creſce tuæ.
Dixerat. adſenſere Deæ. perque aëra latum
Quæ plaga dextra fuit, tota ſerena fuit.
Atque ea ſive negavit iniquus, ſive benignus
Iupiter eventum juſſit habere ſuum,
Securus, Cramere, age ter tria pocula amici
Soſpitis, atque iterum ter tria ſume tui.
Ite Deæ Aonides, cras vos revocabimus omnes.
Iſte dies nobis feſtus agendus erit.
Huc cyathos, Cramere; & mollia vina corona.
Propoſuit ſiccis omnia dura Deus.
Non aliter fugiunt curæ, triſteſque labores:
Vt fugiant curæ, fortius adde merum.
Et bene me, bene te non unis adjice votis.
Cætera vicino trade ferenda mari.
Et neque, cur pereat bellis Germania, quære;
Quiſve armet reges inde, vel inde furor.
Et neque, quid Sueci, quid magni Cæſaris arma
In clades tumidi Martis amore ferat.

Diſpo-

Diſponent Superi. nihil eſt, quod quærimus iſta,
Quæ tegit obducta condita nube Deus.
Fata viam invenient. Vina huc, Cramere, roſaſque.
Nec tibi, nec ſobrio nunc licet eſſe mihi.
Dicamus bona verba: procul, procul horrida bella:
Ter tibi ſit Briareu: ter tibi ſancte Geni:
Ter Charitum trigæ: toties tibi candide Phœbe:
Bis toties Muſis: bis toties Veneri:
Si qua animum, Cramere, tuum formoſula flexit,
Huic tacitè cyathos, ſi lubet adde duos.
Vivamus dum fata ſinunt, dum non perit ætas.
Quis ſcit an hæc iterum ſit reditura dies?
Interea, Cramere, optes, ut ſemper amico
Candidior redeat, candidiorque tibi.

NObiliſsime Heinſi, dum in libellis illis excudendis prælafervent, animum ibi occupatum Natalis tui celebritas alio avertit. Quoniam autem ad tua ſacra etiam me conferre thuſculum voluiſti, habe Elegiam exilem, & tenuem, quales à me proficiſci ſolent. Debebam in tam egregio argumento eſſe ingenioſior. ſed ita meam indolem comparatam ſentio, ut ne illuſtribus quidem facibus admotis excitetur. Niſi fortaſsis in amico ſatis eſt, ſi affectum probaverit. quem integrum, ſincerumque, quicquid de ingenio fiat, præſtare tibi poſſum. Vale.

ELEGIA.

In Natalem NICOLAI HEINSII. D. F.

HEinſiadæ genio libamus thura, merumque.
Exeat à ſacris turba profana meis.
Qui malus eſt, lepidis qui vatibus invidet, illinc
Sit procul, hanc lucem nec putet eſſe ſuam.

Digitized by Google

Læta verecundus nobiſcum feſta frequentet.
Bacchus, & innocuæ treſque, novemq; Deæ
Nec te, diva Venus, puerosve arcemus Amores.
Vos quoque cum Muſis Heinſius ipſe vocat.
Quo valet, ingenium vobis debere fatetur.
Peneque Pegaſea plus potuiſtis aqua.
Ingentis meriti lux conſcia prodidit Orbi
Heinſiaden. veſtri muneris ille fuit.
Eminus à Pindo cum ſternuit omen Apollo,
Omina narratur bina dediſſe Paphos.
Creſcentem Cypris Phœbo diviſit alumnum,
Et juveni patrium diva præivit iter.
Illa domus teneris adſuevit amoribus olim.
Heinſiades patrias ventilat inde faces.
Nec negat ardenti genitor concedere gnato:
Indolis hæredem nec negat eſſe ſuæ.
Qualis, Phœbeus quoties deferbuit ales,
De mediis flammis altera prodit avis.
Illa piæ volucri, pennaſque, apicemq; reponit,
Auratumq; jubar; perpetuamque facit.
Heinſius in pulchro juveneſcit carmine gnati;
Quodq; amat, exemplo ſentit amare ſuo.
Sed ſacra natali Genio facienda ſuperſunt.
Pone puer cyathos, innocuumque merum.
Nil ſine lætitia Bacchi ſuccedere narrant.
Fundite thyrſigero pocula prima Deo.
Mox Veneri, Phæboq;, tribuſque, novemq; Deabus.
Numinibus lepidis indiget iſta dies.
Tu quoq; cum Superis gnato tua gaudia confer,
Nec promptis, HEINSI maxime, parce cadis.
Quicquid habes vaſta complexum mente, remitte;
Et tua ſolenni ſeria tinge mero.
Quæ mihi formoſa patera eſt evincta corolla,
Hanc Genio gnati fundo, biboque tui.
Inde tibi, Genioque domus. Inniteris ipſe,
Et domus Heinſiadæ, tantaque fama, tuo.
Quamlibet immenſum ſobolem dimitte per Orbem,
Ingenii fætus, & monumenta, libros:

Hein-

Digitized by Google

Heinſiaden malles vel tota laude redemptum,
  Et tibi jam tanti gloria nulla foret.
Iunge merum votis, quæ filius audiat ipſe,
  Seque patris curam ſentiat eſſe ſui.
Vivite felices: & tu, pater optime, creſce
  Ingenio gnati; laudibus ille tuis
Zuerius extendens nobiſcum vota, preceſque,
  Lætitiæ partem vindicet inde ſibi.
Iamq; animi curas aliquo diſtinguere Bacho
  Quærat, & hanc feſtam gaudeat eſſe diem.
Macte Heinſi ſacriſq; tuis, votiſque tuorum
  Stamus, & ante aras ſolvimus iſta tuas.
Lyſa comam ſpargit, cumulatque altaria donis,
  Et juvat orantes, & præit ipſa preces.
Illa mero modico lætatur pingere menſam,
  Nec, quod amet, poſthac diſſimulare poteſt.
Nunc & amatorem centum complexibus urget:
  Nec timet invidiam: nec memor ipſa ſui eſt.
Illa ſuo Heinſiadæ proprios tranſcriberet annos,
  Si poſſent ſuperos flectere vota Deos.
Et flexit Superos, quæcunque puella Deorum
  Pro tam feſtivo vate popoſcit opem.

CARMINVM AD-
OPTIVORVM
LIBER.

Digitized by Google

CARMINVM ADOPTIVORVM LIBER.

CONSTANTINVS HVGENIVS VINC. FABRICIO S.

Qvi me inter arma, Nordovix novenarum
Myſtes Dearum, non novelle, non priſce,
Sed ſic utrumq;, ut utrum ſies, parũ conſtet,
Puer diſerte, non puer, vir imberbis,
Qui me inter arma, non inermibus chartis,
Sed de pharetra maximi Deûm telo,
Telo Merillæ fulminum, gravi telo,
Ignotus ignotum feris, & inviſum,
Mox invidendum: Laureate Fabrici,
Sed inter ulnas educantium, ad cunas,
Et ante cunas Laureate Fabrici;
En dexteram, fidemque, ſi quid hoc tanti eſt,
En pectus imum, & intimum, en amicorum
Eſto meorum; per fidem hanc, per hãc dextram,
Per Heinſium commune nomen utrique,
Commune numen, creſcet ille creſcenti
Coævus ævo, fixus, ácer, æternus,
Par ardor illi, quem fovetis utrinque
Fabricius Merillæ, & illa Fabrici.
En arte Coâ prorſus & Galenorum
Cæco apparatu, quo magis meus fias,
Nihil neceſſe eſt. Vixerit ſenex Cous,
Fac totus in te vixerit (quod ut cano
Fiat mereris jam puer) quid exſpectem
Niſi ut propinquis æger à manu tanta
Reddar, quod ipſa Clotho neverit vivam.
Et ſim diu, qui nil quidem refert an ſim?

Digitized by Google

At qui ſepulto ceſpitum gravi mole,
Gravioribus negotiorum,& armorum
Sin Patriæ,nec Principi, ſibi extincto,
Surdo,ſilenti, neſcio Camænarum,
Permeſſidos,Pindi,tui, ſui,trunco.
Vitam remittis, & procul jubes vivam,
Iubes loquar, audiam jubes,jubes cantem,
Permeſſidem credam facis,facis Pindum
Colles cruentos,& ſororibus divis
Quaſi intereſſe,qui ſororibus diris
Quacumq; vector,aut revector, interſum,
Cujus Galeni,cujus è Deûm turba
Potentiorum τῶν μὲν ἰατρευέντων
Manumq;,opemq;, magne tiro,non vincis?
Me cæcus error,me profunda caligo
Involvit, aut mortale non facis factum,
Qui me inter arma,Nordovix novenarum
Myſtes Dearum,neminem,nihil nutu
Novum creaſti,nempe recreaviſti.

CONSTANTER!

Ad Rhenobergam, inter aula &
armorum perpetuas incudes.
cIↄ Iↄ cxxxiii.

In

In Amores Nortvicenſes,

Vincentii Fabricii ſui.

DOuſa pater vatum, patrii tutela Lycei,
Quo nil candidius terra Batava tulit,
Littora Nortvici, campoſq; accendit, & amnes,
In gremio dominæ dum ſua fata canit.
Ipſa Venus, Veneriſq; puer, quos luſit amores,
Quæque Idæ fixit baſia mille ſuæ,
Inſcripſit foliis: flammaſque, & carmina Nymphæ
Hauſerunt patriæ, Nereideſque Deæ.
Tota calet tellus, & adhuc locus uritur ipſo:
Quem Phœbo junctus nunc quoque ſacrat Amor.
Dignus utroque Deo vates meus ardet utroque,
Nec Paphiæ, Phœbi nec minus igne calet.
Incola Nortvici pariter Pindumque, Paphumque
Hauſit. amatque ſimul, nec moritura canit.
Douſa meus doctos Nortvicum tranſtulit ignes.
Nunc afflat vates numine Douſa ſuo.

DANIEL HEINSIVS.

In Seceſſus Nortvicenſes doctiſſimi Iuvenis

VINCENTII FABRICII

Epigramma.

FAllimur, an ſteriles inter Parnaſſus arenas
Surgit, & æquoreis proximus exit aquis?
Non Helicon, non Phocis abeſt. tellure Batava
Fundunt Caſtalii pocula plena lacus.
Nobile Nortvicum, florent in pulvere Muſæ,
Inque tuis ſcribunt carmina docta jugis.
Nec tamen exuccos feriit levis ungula colles,
Aut latices ictu Bellerophontis habes.
Fabricius fontes aperit, novus incola vatis
Officio totis luxuriatur agris.
Hoc donat jam Saxo tibi, quod debuit Albi.
Invenit in ſylvis, quod canat, ille tuis.
Quum magnos repetis, Batavûm miracula, Douſas,
Poſt Douſas cupias hoc quoque teſte loqui.
Si pius eſt, quiſquis Patriæ præconia ſolvit,
Bis pius eſt vates, qui peregrina canit.

C. BARLÆVS.

AD

AD MERILLAM.

In Amores Vincentii Fabricii.

IDA Cupidineis Douſæ cantata libellis
Obvia Fabricio facta, Merilla, tuo.
Protinus invaſit collum, lentumque, tenaxque
Baſiolum impreſſit. Quid levis Ida facis?
Douſa tuus non eſt, non hic tuus, Ida, poëta.
Non eſt: ſed Douſam credidit Ida ſuum.

F. SCRIVERIVS.

IANI BODECHERI BANNINGII

Elegia ad

VINCENTIVM FABRICIVM,

Nomine

FRANCISCI LEEVVVII *à Gouda.*

TV licet in Batavis, patrio ſemotus ab Albi,
Dulcia tranquillis otia rebus agis;
Et modo Nordovica colis, tua gaudia, Tempe,
Quæque latent iſtis montibus Oreades;
Et modo, qui Leidam circumſtrepit undique, Rheni
Threicio fragiles carmine ſiſtis aquas;
Queis caput extollens pulcherrima Neptunine
Murmura ſiccatis imbibit auriculis,
Vicinamque ferit ſublata voce per urbem,
Vtſtupeat lenes Heinſius ad numeros:
Heinſius ille ſui Varro clariſſimus ævi,
Quem cælo ſimilem vis facit ingenii.
Non tamen eſt laudanda tuæ petulantia Muſæ,
Quæ narrat, quod me calcet Amor pedibus.

In Seceſſus Nortvicenſes doctiſſimi Iuvenis

VINCENTII FABRICII

Epigramma.

FAllimur, an ſteriles inter Parnaſſus arenas
  Surgit, & æquoreis proximus exit aquis?
Non Helicon, non Phocis abeſt. tellure Batava
  Fundunt Caſtalii pocula plena lacus.
Nobile Nortvicum, florent in pulvere Muſæ,
  Inque tuis ſcribunt carmina docta jugis.
Nec tamen exuccos feriit levis ungula colles,
  Aut latices ictu Bellerophontis habes.
Fabricius fontes aperit, novus incola vatis
  Officio totis luxuriatur agris.
Hoc donat jam Saxo tibi, quod debuit Albi.
  Invenit in ſylvis, quod canat, ille tuis.
Quum magnos repetis, Batavûm miracula, Douſas,
  Poſt Douſas cupias hoc quoque teſte loqui.
Si pius eſt, quiſquis Patriæ præconia ſolvit,
  Bis pius eſt vates, qui peregrina canit.

C. BARLÆVS.

Digitized by Google

AD MERILLAM.

In Amores Vincentii Fabricii.

IDA Cupidineis Douſæ cantata libellis
Obvia Fabricio facta, Merilla, tuo.
Protinus invaſit collum, lentumque, tenaxque
Baſiolum impreſſit. Quid levis Ida facis?
Douſa tuus non eſt, non hic tuus, Ida, poëta.
Non eſt; ſed Douſam credidit Ida ſuum.

P. SCRIVERIVS.

IANI BODECHERI BANNINGII
Elegia ad
VINCENTIVM FABRICIVM,
Nomine
FRANCISCI LEEVVVII *à Gouda.*

TV licet in Batavis, patrio ſemotus ab Albi,
Dulcia tranquillis otia rebus agis;
Et modo Nordovica colis, tua gaudia, Tempe,
Quæque latent iſtis montibus Oreades;
Et modo, qui Leidam circumſtrepit undique, Rheni
Threicio fragiles carmine ſiſtis aquas;
Queis caput extollens pulcherrima Neptunine
Murmura ſiccatis imbibit auriculis,
Vicinamque ferit ſublata voce per urbem,
Vtſtupeat lenes Heinſius ad numeros:
Heinſius ille ſui Varro clariſſimus ævi,
Quem cælo ſimilem vis facit ingenii.
Non tamen eſt laudanda tuæ petulantia Muſæ,
Quæ narrat, quod me calcet Amor pedibus.

Nec ſcio quid ſit Amor, nec multum ſcire laboro.
Dicitur armata ſpicula ferre manu.
Eſt mihi mens Phœbo, ſtudiiſque dicata Minervæ,
Qualia, nulla trucem cum tenet haſta, regit,
Herculeos animo mallem tolerare labores,
Stymphalicaſq; ſono vincere pelvis aves,
Antæumq; gravi membrorum mole timendum
Conari invalidis viribus opprimere.
Judice Fabricio. ſed enim quia credor amare,
Sæpius inquiro pectoris in latebras.
Et quia vix falli potis eſt in amore magiſter,
Quem Veneris puer, & quem legit ipſa Venus;
Proque ſuo ſtatuunt Naſone incauta juventus,
Quo ſub in his quæ ſunt commoda proficiat:
Rumino quid Seliæ faciam cum limina viſo,
Vnde meus certo cognitus eſſet amor.
Nempe rubor malas turbat, rigor occupat artus,
Verbaque, quæ veniunt, dimidiata loquor.
Inde premo digitos & lactea colla lacertis
Ambio, & humidulis oſcula do labiis.
E quibus, Idalius qualem nec puſio fundit
Vnquam cælicolis, effluit ambroſia.
Quin mea furta etiam nuper tibi viſa fuiſſe
Noctis, ais, longo tempore concubio.
Stat Selia ante fores, ac me deducit euntem,
Forte humeros Seliæ candida palla tegit.
Tumq; ego, quæ indubium doceant ſub pectore vulnus
Atq; vale abſcedens exprimo poſt gemitus.
Ergone Fabricius noſtra hæc ſecreta notavit?
Credite Fabricio, Leeuvvius omnis amat.
Aſt amat à quovis quæ digna putatur amari:
Dein ego jam partes ipſe ſubibo tuas.
Quod vero Seliæ vis poſtpoſuiſſe Merillam,
Flagitium primus nunc ego dico tuum.
Invidus eſt, quiſquis de me male judicat, & me
Invidia pectus dilacerare putat.
Non mea vipereo ſuffuſa eſt lingua veneno,
Pallor ab alterius nec mihi ſorte venit.

Digitized by Google

Diligo quos virtus,& quos ſolertia mentis
  Fortunæ donis luxuriare facit.
Quiq; meis etiam votis contrarius obſtat,
  Sæpius eſſe meo dignus amore poteſt.
Trans mare vicinos petiit tua vita Britannos,
  Huc præbent celeres ventus, & unda vias.

HENDECASYLLABVM

In

Doctiſſimi Iuvenis,

VINCENTII FABRICII,

Diſputationem de morbis capitis.

LVſiſti ſatis,& ſatis Merillæ
Cantaſti numeris leves amores,
Venuſtis numeris & eruditis,
Fabrici,juvenum venuſtiorum
Laus non infima:majus eſt agendum,
Et Muſæ veniunt ſeveriores
Colendæ tibi,quæque Batavorum
Refellant bene Martialis aurem.
Annos innocuæ rudes juventæ,
Vt decet,lepidis damus libellis:
Sed poſtquam gravior niteſcit ætas,
Nos totos tetricæ damus Minervæ,
Quæ menſas faciat focoſque pingues.
Teque Albis reducem videre geſtit
Non tantum facilem, puto,poëtam,
Quamvis & facilem velit poëtam,
Sed juſtum quoque flaminem Themiſtæ,
Aut gnarum quoque flaminem Æſculapî,
Qui ſervet vegetos proboſve cives.
  Et nunc tale tibi vigere pectus
Monſtras omnibus,omniumque vultus

In te lætitia trahis ſtupentes,
Dum quicquid chymicis boni paratur,
Scrutatoribus optimi metali,
Magni dogmata jungis ad Galeni,
Et quid judicio ſcholæ relinquis
Quam nuper Paracelſus erigebat.
Haud fungi penitus recentiores
Habendi, licet id ſuperba multum
Coa natio, pertinaxque multum
Credi poſtulet: ægritudo cedit
Non autoribus his, vel his, vel illis,
Fideli aſt opera, & manu perita.
Verum quandoquidem quid imminutæ
Menti ſubſidium ſit argumentis
Doces indubie hinc & hinc petitis,
Sive inſomnia ſpiritu meatus
Infeſtent cerebri, ſopore ſive
Senſus undique ferreo ligentur,
Seu penuria, ſive plenitudo
Conſtrictos habeat prematque nervos,
Seu deliria ſpiſſa & implicata
Deturpent rationis officinam,
Dic ſodes mihi (præmio trecentos
Vltro polliceor ſtatim phalæcos)
Vt ſanes homines politiores,
Qui ſolum bene diſputant tacendo,
Et mali nihil integram per horam
Vel prima fere ſyllaba loquuntur.
An Rhazes tuus id, vel Avicenna
Non ſcripſere tibi genus medelæ?
Huc ergo, mihi præmio trecentos
Vltro pollicear tu phalæcos,
Medelam tibi porrigam probatam.
Sed prius peragas tuam (poteſque,
Qui facundus & eruditus audis)
Felici omine diſputationem.
Vt dein Vorſtius, ille flos medentum,
Natus optimus optimi parentis,
Exclamet, Bodechere parce, non eſt

Quod

Quod des Fabricio tuo meoque
Quæ te pharmaca noſſe gloriaris;
Medelam teneas tibi probatam,
Donec eſt magis uſui futura.

IANVS BODECHERVS
BANNINGIVS.

AD CLARISSIMVM
Ingenii & Eruditionis laude Iuvenem
VINCENTIVM FABRICIVM,
Cognatum eximium
Cum ad virtutis ac ſcientiæ gratia inſtitutam pridem, ſed fortunæ varietate interruptam peregrinationem, rediturus Hamburgo diſcederet Anno 1637.

SI, quod vulgari fertur ſermone, meretur
Fortè fidem verbum; adverſam cuique atq; ſecundam
Fortunam fabricare ſuos & fingere mores,
De te Fabricio non eſt dubitare neceſſe,
Quin tibi contigerit fatis melioribus uti
Te ſortem moderante tuam, Vi Numinis almi
Adjuto, teneris qui ſis ingreſſus ab annis
Præclarum virtutis iter, pulchrumque putaris
Pæne puer doctis poliendum tradere Muſis
Pectus, & egregias vitam excoluiſſe per artes.
Nec te pænituit læta ſubeunte Iuventa
Succeſſus urgere tuos, quantum addidit ætas
Annorum ſpatio, tantum provecta ſubinde
Adjecit curis, indefeſſoque labori,
Quo ſine nil altum mens inchoat, illius alis
Altius evectus Famæ contendis ad arcem

Digitized by Google

Egregio niſu. Iam pulchrum oſtendere mundo
Ingenii ſublimis opes, auſuſque Viriles
Prodere vix prima Iuvenem lanugine tinctum,
Palladiis clarum ſtudiis, magniq; laboris
Conſcia victuris monumenta intexere chartis.
Et quale & quantum decus innoteſcere magnis
Et placuiſſe viris, quos & nunc ſuſpicit Orbis
Inſignes meritis, & quorum poſtera doctas
Agnoſcet Curas, ſimul & mirabitur ætas.
His animum ſuccincte bonis, his omnibus une
Nominibus felix, Vincenti, concipe veram
Et parilem ſortiq; tu r, votiſq; faventûm
Lætitiam, cæptumq; bonis, ad culmen Honoris
Auſpiciis iter ad nitidam decurrere Calcem
Pergo, tuo faveat DEVS & fortuna labori.
Nec minus intereà contra ludibria cæcæ
Sortis, & inſtabiles caſus, incertaq; rerum
Quæ fert vita hominum, momenta, viceſq; ſuperbas
Diſce tuum munire animum, pulchreq; memento
Compoſitum adverſis fidens opponere rebus.
Et quanquam virtutis amor cultuſq; meretur
Præmia prima, tamen ſi tu virtutis egenos
Virtutis videas nanciſci inſignia, contra
Facta tua in minimo, quamvis laudata, reponi,
Deſine ad humanæ ſubtilius omnia normam
Pendere mercedis, nec te damnoſa lucelli
Tranſverſum rapiat ſpes, aut averſa fatiget
Triſtitiaq; gravet: placeat tibi candida virtus
Illecebris formoſa ſuis, nexuque fideli
Alliget implicitum, dabit hæc tibi præmia victrix
Et verum, dilecta, decus, meritumq; profano
Secernet populo, & lucentibus inſeret aſtris.

HENRICVS VAGETIVS.

IOHAN-

IOHANNIS FRIDERICI GRONOVII
Reſponſio ad
IAMBVM VINDEMIALEM
V. CL.
VINCENTII FABRICII.

FElix Dearum cultor, & Bœotia
Rigatus uſque & uſque labra Caſtali,
Nunc ſpes, Fabrici, Themidos, in cujus ſacro
Virtus Fideſque Numinum ſociant chorum
Et nil ſinunt deeſſe magnum pectore:
Dum ſat beata paſtus ingenii dape
Vacare gaudes, dum Daphnes læta caput
Coma revinctus, (non Daphnes qua Blovius
Implet tabernas, & coronarum inſtitor
Ingenia cauponatur; haud qua Myrtilus
Et turba congrex ſublinunt os ſeculo:
Sed qua verendus Mæonius natus ſtetit,
Regum furores enthea canens lyrà
Et regna & urbes atque mores civium,
Vitæ magiſter, ſumma lex prudentiæ;
Qua Mantuanus Iulios cælo ferens
Ortus; tuuſque qua nitet Naſo tener
Feſtam marinæ Cypridis jactans facem.)
Dum tactus hilari ſerta thyrſo tempora
Frontem remittis inter ingenuos jocos,
Hederiſque laurum temperans ſequacibus
Lepidus ſatelles ebrii incedis Dei:
Me qua Batavi coletur imperii caput,
Et tot potentum regna mittunt urbium
Commune ſceptrum, plena nobilibus viris,
Vrbs principalis, Haga privato lare

Interque faſtus milleque inter turbines
Et nuntiorum ex orbe toto nundinas
Amabili quiete ſecretum tenet.
Heic Vlpiani ſcita, dicta ſervii,
Heic & Sabini & æmulas Proculi ſcholas
Mecum frequento, & quicquid ingentes viri,
Æqui bonique interpretes ſanctiſſimi,
Legum tribunal, & ſacerdotes Deæ,
Quæ jure gentes frenat, & fera civibus
Arbitria doctis abnegare virium
Iuſta cuique lance diſpenſat ſuum,
Pulchris relictum condiderunt paginis,
Avidus retracto & patrias artes ſequor.
Mox vellit aurem priſca ſapientum cohors,
Seu quos profeſſos devio normam juvat
Monſtraſſe mori, & acre robur pectori
Suggerere contra Fortis incertæ minas:
Seu qui prioris geſta famæ tempori
Servant futuro, veritatis buccinæ,
Et tot decora exempla virtutum vetant
Oblivionis nocte celari mala,
Praviſque nunquam deſituræ infamiæ
Seros nepotes & penes longam diem
Pœnas ſeveri judices pronunciant:
Seu fabularum qui tegunt dulcedine
Præcepta vitæ, & ſerium ludis agunt,
Phœbi miniſtri, turba Parnaſſi pia,
Qui te, Fabrici, gloriæ hæredem ſuæ,
Qui te ſodalem, qui domeſticum vocant.
Sive his repertrix omnis elegantiæ
Superbit Hellas, ſeu nepotes Romuli.
Non admonendo Statius deeſt ſibi,
Atque expiari februis ſalubribus
Thebas repoſcit, nec minus monſtrat ſuum
Nobis Achillem. Qualis exuviis Draco
Capite exſolutis inquies tendit cutem,
Vrgetq; nodos aſpero monti affricans
Nitenſque, donec liber omni corpore

In alteram jam vernet ætatem novus.
Tum forte ſi quid interim ſubnaſcitur
Meminiſſe dignum, menſq; fæcunda eſt ſibi,
Illudo chartis, temporis cautus mei
Ratiocinator ac avarus unius.
Sic condo ſoles, ſic amœno murmure
Fraudata ſomno multa nox ſæpe effluit.
At ſi labore feſſus, æger tædio.
Vacationem tetricæ Muſæ imperet
Deſertor animi corporis folliculus,
Eſt innocentium meſſis ampla luſuum
Et multa blandimenta, me queis avocem.
Leida profectis qua patet pedibus via,
Et prima pandit Haga nobilis ſinum
Inſigne portas exhibens pacis modo,
Prędives umbris occupat campum nemus.
Stat vaſta quercus nubibus condens caput,
Expanſa ſilvæ more brachia implicans,
Quinas ter ulnas exigit trunci modus:
Alterius ævi, grata Dianæ quies,
Dryadum voluptas, nocte quæ circum choros
Ducunt ſilenti, & metiuntur ambitum.
Stat tilia pinguis, apta pennis fraxinus,
Et recta fagus, mille corpora arborum
Et fœdere uno fervidos ictus vetant.
Subtus virenti læta tellus gramine
Crinitur. ipſum frangere invitant prope
Et tranſeuntes ambiunt ultro tori.
Mites per auras aeremque termitum
Late comantum ſpiritum mollem vehens
Zephyrus ſuſurrat, grataque afflat frigora.
Et undiquaque plumeum ſonat genus
Solenne carmen æmula concordia.
Denſentque virgæ ac vimina in medio ſpecum,
Fauni latebras, unde ſubſeſſor ſalax
Tentat fugacis nuptias Alſeïdos,
Matura collis nec deeſt apricitas
In parte quadam, & bibere ſoles invidet.

Dela-

Digitized by Google

Delatus illo mente libera vagor
Viſus per omnes, atque deliciis fruor,
Natura mater quas miniſtrat obvias,
Largoque cornu dædalis tribuit locis.
Non ob locatas, improbas, factas manu,
Quales paravit luxus impatiens ſui,
Morum ruinas, illecebras turpium,
Patrimonii Charybdin & Syrtes meras,
Peſtes juventæ, & omnis ætatis probrum,
Saginam inertiæ, officinas mortium.
Venuſinus addit forte ſe mihi comes
Riſus magiſter, aut Poeta Lejus,
Quicum Bathyllum miror, Atticæ ſilens
Reſpondeo cicadæ, Amorem ſomnio,
Canto Lyæum ſiccus, & jungo roſas.
Nec quid lucrentur Cæſii aut Aquilii,
Famæ tyranni fragilis atque evanidæ;
Nec quod frequenti ſcriptus in pittacio
Perambulet librariarum ſcrinia
Fonteſque pingat neſcio quis Olus tuus;
Aut barbarorum quid mihi decreverint
Comitia, quo me cenſeant in ordine,
Ibi recordor, aſſis aut facio unius.
Quod ſi libido garriendi acceſſerit
Et liberales ſerere ſermones juvet,
Cohors amica eſt, quæ libenter commodat
Aurem, & viciſſim nec meam invitam rapit.
Boſvvelle, te fas nominari principem,
Cujus diſerto loquitur ore Belgicæ
Rex, qui Britannos triplices ſceptro ligat,
Viris & armis & mari toto timor.
Nec te ſilebo, ſera qui genti piæ
Ruptis tenebris reddidiſti ſtemmata,
O vera ſoboles Amſtelæ propaginis.
Te, magne Scotte, lux ſerena Curiæ.
Civilioris optimatis unica
Imago, quem nunc vindicem exſpectant ſuum
Sub nocte multa deſtituta tempora.

Te, mens manuſq; Principis Celſiſſimi,
Divine Hugeni. Teq; pars potior mei,
O lingua Peithus, Pallados ſacrarium,
Et certi amoris ſymbolum, Graſvvinckeli,
Cujus requirit conſilî vires Gothus,
Qua ſe tuetur Veneta Libertas manu,
Quod tot procantur forte præſidium rei.
Squallentibuſque ſimile præſidium reis
Te, docte Groti, cui renaſci geſtiunt
Priſci magiſtri, principes artis tuæ.
Omitto numerum, verſibus parcens malis
Et invenuſtis, nauſeæ parcens tuæ,
Haudquaquam amori, cui pares cuncti, meo.
Eſt & leporum qui parentem Liberum
Adhibeat, & me ſuaviter rorantibus
Laceſſere haud recuſet udus poculis.
Hæc, mi Fabrici, pro tuo læti tamen
Vindemiali computamus heic die.
Nec invidemus uberantioribus.
Tantum Neæra non calet noſter ſinus.
Inter tot ignes & faces & illices,
Quando hæc patranti lumine advocat virum;
Nudis papillis illa provocat manum,
Strictis & arte faſciæ tumentibus,
Sororiari pinnulum doctis quaſi;
Vultu pudoris dictat alia audaciam,
Natura quem ſi deneget, mira artifex
Quocunque fuco pallidis linit genis;
Defecta quædam dote pulchri corporis
Procacitate res agit linguæ ſuas;
(Volunt id ipſæ comitatem dicier)
Tunc crebra ſchemata eruditulæ & tropi,
Laſciviæ velamen, ut rivis fluunt;
Aut oricilla gemma pendet imula,
Tribacca gemma, vel papillis objacet,
Solumq; pulchram clara dotem divitis
Promittit arcæ, quæ procum ſapientem emat.
Tot inter ignes & faces & illices

Con-

Contudimus arcus telaque inſani Dei,
An ille potius ut rudem & durum fugit?
Caloribuſque non paratum dulcibus,
Donec reverſum accipiat expanſo ſinu
Et veſte tota blandiens Albis pater,
Nymphiſque patriis offerat me fomitem,
Flammiſque fingar apta materies novis.

Ad excellentiſſimum Iuvenem VINCENTIVM FABRICIVM.

ELEGIA.

CORNELII GROTII HVG. FILII.

OPtime Vincenti, cujus de voce perenne
Fulmen inexhauſti funditur eloquii.
Non aliter, quam de flavis mella aurea ramis,
Aut de diſtentis lac fluit uberibus.
O felix caput, ô noſtris chariſſime divis,
Pieridum decus, & pignus Apollineum;
Tu per arenoſum proſtratus molliter Albim,
Qua ſperat genitor brachia Nereidum,
Hamburgumq; ſuum laſſis admurmurat undis,
Cæruleam vultu Dorida proſpiciens,
Phyllida nunc ludis vario ſpiramine avenæ
Demulcens patris flumina cornigeri;
Neſciat ut retrone tuos vertatur ad ignes,
An magis ille ſuum pergat ad Oceanum.
Tum myrti folia adſurgunt tua tempora circum,
Te tantum, & levibus digna Cupidinibus;
Et vellent pectus, vellentque invadere totum
Amplexa hinc atque hinc undique Fabricium,
Si non adſpernetur amor velamina caſtus
Qui ſub flammiferis ſtat tibi viſceribus.
Me tenuis pater, & Phœbi vix nomine dignus
Ducit ſylveſtres inter Hamadryades,

Semi-

Semicaprumque genus Satyrorum, atq; agmina monſtrat
Hirta, puellarum non adeunda choris.
Quorum cum mea per ſylvas veſtigia vidit,
Aut ſuſpirantes pertimuit Pholoë,
Reſpiciens iterumq; oculis, iterumque, iterumque,
Extemplo noſtrum profugit in gremium.
Namque per arboreas ubi Lipſia cernitur umbras,
Gramineo felix eſt locus in nemore,
Qui ſolos riſus, ſoloſque exſpectat amores,
Et neſcit gemitus, & refugit lacrimas,
(Illæ etenim quoties thalamos tetigere virentes,
Noxia de campis gramina proveniunt;
Tum ramique cadunt, & qua ſe proxima quercus
Explicat, è mediis tollitur ilicibus.)
Hic nos agreſti luctamur arundine, donec
Ventus ab impreſſis exeat articulis.
Spiritus ille etiam noſtros accendit amores,
Atque meas flatus ventilat ille faces.
Accendor, qualis fragiles ubi campus ariſtas
Quas hinc atque hinc jam Mulciber involvit,
Dum flammæ magis atque magis, urgunt crepitantes,
Fratribus impelli ſenſit ab Æoliis.
Namque illi ſimulac antro emittuntur opaco,
Vnde tenent terras, unde agitant maria,
Immitis Notus, & Boreas Rhodopejus, & Eurus,
Diſſimilique ſolum turbine pervolitant,
Tunc incendia vaſta feruntur in altius agmen,
Et velox teneros fax agitat calamos:
Sic & nunc mea me Pholoë, mea vita, meum mel
Sufflari levibus ridet arundinibus.

AD

Digitized by Google

AD VINCENTIVM FABRICIVM

ELEGIA

NICOLAI HEINSII. D.F.

SI licet Arctoas Batavis accedere Muſas,
Heinſiadæ verſus deficientis habe.
Ante tuas aras tutelareſque penates
Victima de feſſo, carmina, vate jacet.
Cedite ſublimes, heroica prælia, verſus;
Cede cothurnatis Iambe ſuperbe modis.
Imparibus veniat Elegeïa laxa capillis;
Exilio vatis convenit illa ſui.
Parva decent tenues; modo dent mihi fata recurſum,
Cum dabitur Leydam viſere, magna canam.
Me tenet æquoreis Vvaſnaria cincta procellis,
Vnde ſuas Batavus per mare mittit opes.
Exul agor, patrioſq; lares urbemq; reliqui,
Nec dantur ſtudiis commoda juſta meis.
Me ſterilis tellus inarataque detinet ora,
Solaq; nunc oculos paſcit arena meos:
Aut impacati cerno violentia ponti
Regna, vel in medio littore ſolus eo.
Forſan & è cano venientia lintea Nereo
Metior, aut vultus detinet unda meos.
Pone jacet Batavi ſpecies miſeranda Lycei
Fataq; quam prohibent viſere, cerno tamen.
Orba ſedet medio natoq; in funere Pallas,
Nec valet armatâ pellere fata manu.
Leyda parens, miſeranda parens, tua numina teſtor,
Invitus patriis abſtrahor à laribus.
Non hic finitimos video, tua paſcua, ſaltus;
Non hic Naïadum turba per arva canit.
Cæruleæ veniunt gens invidioſa Poëtis,
Nereides, gnatæ Dori canora tuæ.

Sem-

Semper defeſſos renovat Thetis uda furores,
Et nunquam laſſi gurgitis unda ſilet.
Marſque pater Nereuſque pater ſua jura ſequuntur,
Militat in partes ſævus uterque ſuas:
Aptus & æquoribus Mavors & navita bellis,
Si dubitas Batavo judice, Maurus erit.
Dî maris, & Neptune parens, ignoſcite faſſo;
Non facit ad Muſas æquor & aura meas.
Illa juvent nautas, mihi ſunt Parnaſſia curæ
Numina, Phœbeo ſpiritus igne calet:
Molle mihi pectus, levibus violabile telis;
Et quo, ſi ſequerer bella, carere velim.
Id quoq; jamdudum Veneri debemus, & armis
Noſtra quibus toties pectora fixit amor.
Tempore quo primum Cythereïa furta notavit
Phœbus, & arcanum lumine vidit opus;
Illa, licet facilis nec conjuge digna ſevero,
In teneros vates miles iniqua fuit.
Mars quoq; Phœbæo, ſi credimus omnia, vultu
Proditus ex illo tempore læſus erat.
Quis tibi, Phœbe pater, Gradivum lædere juſſit?
Hei mihi, vindicta non caret ille Deus.
Et damnoſa Venus, quamvis ſine milite pugnet,
Non dabit immunes criminis eſſe manus.
Sed tibi neſcio quid violentum fata minantur,
Cum fugiet vultus Theſſala Nympha tuos.
Ah quoties cuperes non offendiſſe Dionen!
Ah quoties oculos non habuiſſe tuos!
Si neſcis, ſolet eſſe, nocens offenſa Dione:
Conjuge, ſi neſcis, ſævior eſſe ſolet;
Quamlibet hoſtili vaſtaverit Ilion igne:
Perfidiæ pænas jam dedit iſte locus.
Ah nimium pronus veniæ Gradive fuiſti,
Et tibi vindictæ non ſatis una dedit.
Inſectatur adhuc miſeros Cytherea Poëtas.
Exitus hic magnis vatibus eſſe ſolet.
Et nocet, & prodeſt; quoties ſua ſpicula figit,
Materiem docti carminis addit Amor.

Lesbia

Digitized by Google

Lesbia ſic longum, ſic Delia nomen habebit;
Vtraque non firmo juncta puella viro;
Doctaque laſcivi referetur pagina Calvi,
Atque aliæ, quarum fama perennis erit,
Si Venerem demas, teneroſq; Cupidinis arcus,
Da veniam faſſo Cynthie, nullus eris.
Factus erat Naſo tenerorum luſor amorum,
Tempore non longo nota Corinna fuit.
Te quoque, Vincenti, ſimilis fortuna beavit,
Nomen & æternum blanda Merilla dedit.
Illa rudimentum tenero monſtravit amori,
Illa dedit flammis ſemina prima tuis.
Hos tibi præbebat Nortvicum blanda calores,
Finitimo quamvis non bene juncta mari.
Sæpe illic niveas traxiſti ad carmina vaccas,
Seu Veneres Douſæ, ſeu canis ipſe tuas.
Talis Threicius Rodopes in vallibus Orpheus.
Movit inaſſuetis ſaxa nemuſque modis
Talis & Amphion, in Thebano Aracynto,
Condidit argutis mænia carminibus.
Nunc quoq; poſtDouſam, tibi ſe debere fatetur,
Ingenio cum ſit notior illa tuo.
Illa peregrino jam nunc verſatur in orbe,
Et jam Sarmatico ſuſtinet ore legi.
Illa pruinoſam penetravit nota ſub Arcton;
Atq; idem dominum fluctus & aura tulit.
Quaq; prius venit meritorum fama tuorum,
Nunc ſibi præſentem Teutonis ora videt.
Adde quod & gremio Dominæ vultuſq; carendū eſt;
In mediis patriæ fluctibus, exul agis.
Quam tamen & Batavis mallem vicinior eſſes;
Me miſerum, cur te Mænalis urſa tenet?
Te tua fata vocant, & tanta negotia rerum;
Me mea ſecurum Bibliotheca tenet.
Sollicitorque tamen, curiſq; ingentibus angor;
Altera Lugduni eſt, altera cura tui.
Quam bene regales docuiſti ſpernere gazas,
Mobile quas vulgus numinis inſtar habet.

Adde

Adde quod & cupidas mollit ſapientia mentes,
Contentaſque ſuis dotibus eſſe facit.
Si mihi dent ſuperi rigidam contemnere mortem,
Et colere attriti rura beata ſoli,
Lugdunis vicina meis, ubi gurgite feſſo
Rhenus honoratas ſiſtere cogit aquas;
Non ego plura velim: fugiam modo ferrea Martis
Prælia, & ingrati jurgia ſæva fori:
Et mihi ſi qua favent, cæleſtis turba, camænæ,
Effugiant rapidos nomina noſtra rogos.
Hæc voti menſura mei eſt. tibi, maxime Vates,
Tradidit optatæ pocula Phœbus aquæ:
Et vixdum nato Deus adfuit, & tibi Pallas
Vbera formosâ præbuit alma manu.
Turbaque Muſarum de Pegaſea Hippocrene,
Calliopen cunis præpoſuere tuis.
Scilicet eſt aliquid Muſas cum Pallade junctas,
Oraque Caſtalii cernere poſſe Dei;
Et patriæ decus eſſe ſuæ, victuraque ſemper
Nomina ab arſuris poſſe referre rogis.
Nos tenues tantum ſpiramus pectore flammas,
Tibiaque ardori convenit iſta meo.
Si qua tamen magnos capiet mea pagina vates,
Me tibi devotum poſtera turba leget.

Vvaſſenar. id. Novemb. cIↄ. Iↄ cxxxv.

NICOLAI HEINSII. D.F.

In Natalem

VINCENTII FABRICII

ELEGIA.

FEſta Dioneæ redeunt ſolennia matri:
Cui ſua cura Deæ eſt , ad mea ſacra veni.
Improba cum vano ſecedat inertia vulgo,
Iſta dies cauſam poſteritatis agit.
Fabricium terris ea contulit. ite profani.
Diva caput faſtis hanc jubet eſſe ſuis.
Illa mihi viridi ter veſtiat ora corymbo,
Vittatamque ſacro tingat odore comam.
Liba litaturo mihi porrigat inde miniſter,
Pluraque ſacratis vina ferat pateris.
Liſa preces addet modico ſuffuſa rubore,
Et dabit accenſis thura, merumque focis.
Interea blandi venient, mea turba, ſodales,
Queis ſua percuſſit pectora mollis Amor.
Zuerius accurret gemino comitatus amante,
Hofferoque meo, Vettiadeque meo.
Quique ſuos reddit Latio Gronovius annos,
Abditus Haganis dum latet in ſiluis.
Hinc circumfuſo Nortvicides æquore cinctæ
Ornatis properent ad mea ſacra comis.
Has etiam, hac patriis in littoribus currentes
Heinſius à ſævo ſevocat Oceano;
Qua meus ingrato vates contactus ab igne,
Dura Merilla, tuis ingemuit foribus.
Tu quoque vicinis quantumvis ſurdior undis,
Ferrea quantumvis, ad mea ſacra veni.
Nec te nobilitas, nec te tua tardet euntem,
Sit licet antiquo ſanguine nota, domus.
Quamvis Æneæ Trojani ſuſpicis arma,
Iliacoque refers à Ganymede genus.

Quam-

Quamvis & veteres circumdent atria ceræ,
Nequicquam tantis turgida nominibus.
Felix victuros qui debes vatibus ignes,
Manſurumque aliquo carmine nomen habes.
Denique ſervorum cuicunque eſt cura nepotum,
Natalis Genio credat adeſſe ſui.
Pone puer cyathos;& ſacris rite peractis,
Spumet fœcunda lene merum patera.
Fabricio novies, teneræ ſeptena Merillæ
Pocula libemus,bis tibi,Liſa,duo.
Dein iterum, atque iterum repetemus pocula, donec
Exæquent Charites nomina quæque ſuas.
Albi pater,ſeu nunc generoſus origine tanta
Laberis umbroſæ ſaltibus Hercyniæ.
Seu nunc diffuſus ſpatioſo latior amne
Dividis antiquæ mænia Gambrivii,
Quâ prius atrato percurrens pectine chordas
Fleverat attentis Phyllida Naïaſin;
Lux ea tota tua eſt:huc ô pulcherrime rerum
Labere pacatis,& tibi plaude,vadis.
Nec tu Tarpejo quicquam concede Tonanti,
Albi pater,priſcis æmule nominibus.
Roma triumphato trabeata ſuperbiat orbe,
Et rerum dominis alta tumeſcat aquis;
Tu quoq; tolle caput,Latiiſque oppone Poëtis
Fabriciumq; tuum,Lotichiumque tuum.
Fallor?an alma ſacris Cytherea ſupervenit ipſis,
Poculaque affundit nectare Diva ſuo.
Illa Cupidinibus circumvolitantibus inſtat,
Et deſiderium provocat una meum.
Liſa fave,vatiſque tui moderare furores,
Dum mea lymphatus pectora pulſat Amor.
Si qua fides Veneri, mecum tua nomina creſcent,
Rivalemque meæ poſteritatis ages.
Tu quoque non invita mihi debere fateris,
Iamdudum noſtris cognita carminibus.
Nec mea degeneres admittunt pectora flammas,
Pectora,Liſa,tuis ſaucia luminibus.

Luminibus, mea Liſa, tuis celebrabimur ambo,
Tollemurque vagis Cypridos alitibus.
Illa meo geminos vati concedet olores,
Et formoſa ſuis lora dabit manibus:
Donec Caſtaliis admoti collibus una
Ducamus blandos Pieridum latices.
Et mihi nota via eſt, qua ſe pater extulit ante:
Provocat exemplo me pater ipſe ſuo.
Illic Fabricii lepidos cantabimus ignes,
Sive meos potius, ſeu, mea Liſa, tuos.
Vt poſt tot teneroſque jocos, teneroſque ſuſurros
Ora columbatim jungat amica Venus.

Menſe Septemb. cIↃ Ic cxxxvIII.

Ad Clariſs. Iuvenem
VINCENTIVM FABRICIVM
Ioannis Mejeri, Cimbri
ELEGIA.
Quâ ipſius reſpondet, cujus initium eſt:
Et malè diſsimulo, &c.

VINCENTI, dubiâ miſerum quem verſat arenâ
Feſtivo forſan crimine læſus Amor.
Quid malè celatas pergis mihi prodere flammas;
Et noſtram lentus poſcis amator opem?
Nec dubitas aliquid Iano te poſſe magiſtro
Diſcere, quî fiat mitis & æqua tibi,
Quæ nimium argutis mentem externavit ocellis
Hactenus, inque animum jus habet omne tuum:
Quæ poſt tot lachrimas tandem conceſſit amari,
Te quoque, ſi fas eſt credere, rurſus amat.
Da veniam faſſo, non eſt ea copia nobis,
Non vis ingenii, non animi illa mei.

Vix

Digitized by Google

Vix-equidem primos memini ſentire calores,
Telaque, quis toties pectora fixit Amor;
Quum mihi non durus concederet ordia Phœbus,
Sufficeret molles & mea Muſa jocos:
Adfuit & præſto ludenti Candida, & ecce
Objecit ſeſe verſibus illa meis.
Illa meæ rivos felices currere Muſæ,
Illa mei venam carminis ire dedit:
Illa mei balbum deterſit Apollinis: illam
Materiam noſtri carminis eſſe tuli.
Nunc ea deſtituit; quid enim non perdimus annis,
Nec ſatis ingenii, nec ſatis oris adeſt.
Tempora vertuntur, certè vertuntur amantes,
Excidis,& regnas. hæc in amore rota eſt.
Nulla Merilla mihi ſopitos ſuſcitat ignes,
Et negat in partes Muſa venire ſuas.
Scilicet hæ faciles aliis in vota vocantur,
Me mea diverſas ſors jubet ire vias:
Ex quo delitias procul omni è mente fugavit
Euphroſynes caſtus nec minus acer amor.
Scilicet Idalios fas eſt dediſcere luſus,
Et tandem injuſto colla levare jugo;
Ingeniiq; decus nativo oſtendere cultu,
Et Sophiæ & menti velle litare bonæ.
Mortale eſt quicquid ſpondet peritura voluptas:
Virtus æterno gaudet honore frui.
Si Veneri,& Veneris nato ſudavimus olim,
Dum calet in luſus ire juventa ſuos;
Si potui teneris non diſplicuiſſe puellis,
Et viſa eſt probitas digna favore mea;
Me quoq; felicem cari dixere ſodales,
Et placui vulgi ſuſpicione mihi.
Sit meta hic:alio fervent jam pectora motu
Et magis auguſto mens calet icta Deo.
At te,cujus apes quondam naſcentis in ora
Dulcia Hymettæis mella tulere favis;
Quem faciles Muſæ,teneræ cognata Dionæ:
Inſtituit ſacris candida turba ſuis:

Te decet ingenuam blando retinere puellam
   Eloquio,& ſolum te vocat iſte labor.
Seu libeat veteres cantare decentius ignes,
   Totq; hilares noctes, tot ſine nube dies;
Et faciles curas,& gaudia prima juventæ,
   Indelibatis ebria deliciis:
Mens abit,& vaſtum præpes ſuper æthera tendo;
   Me rapiunt numeri,cygne canore, tui.
Seu miſerè ante diem raptam tibi Phyllida luges,
   Palleo,nec fletu lumina noſtra carent.
Sive novos doctæ ſuſpiras mentis amores,
   Vrimur,ardentes ſunt tua verba faces.
Molliter obliquis Paphiæ ſubridet ocellis,
   Ad numeros tædas concutit ipſe Puer;
Cantantis facilis dependet ab ore Merilla,
   Ingenio flammas eliciente ſuas.
Pallidulam tenui frontem redimire corollâ
   Contentum,& parvæ tendere vela rati,
Me ſine, quam ſortem tribuit fortuna,tueri,
   Et ſteriles umbras & mea caſtra ſequi:
Interdum & gracili diſperdere carmen avenâ,
   Quale meus Coridon vel Melibæus amet.
Non quali primæ memini ſub flore juventæ,
   Noctibus æſtivos continuaſſe dies.
Hei mihi quot pulchro riſerunt lumine ſoles,
   Quam faciles hilari vidimus ore Deos!
Tunc Cyrrhæa mihi patuerunt orgia, crebrò
   Tum mihi de viridi lecta corona jugo eſt.
Non ea nunc ætas,non mens;vena omnis in uſu
   Aruit ingenii,ſi fuit ulla,mei.
Nil mihi cum Cyrrha, nil cum Permeſſide Lymphâ,
   Nec facit ætati Pindus,ut antè,meæ:
Sed cathedræ ſteriles, & quod nec dicere poſſum,
   Non ſubtile Sophos, non populare tamen.
Hic mihi conteritur vitæ modus,hæc mea ſors eſt,
   Hic meus exultat & ſibi plaudit amor.
At Te,quem Venus & Muſæ fecere Poetam,
   Cui ſpirat miſſos trans mare lingua ſales,

For-

Formoſas tantùm fas ſit laudare puellas,
Et Dominæ nomen dulce referre tuæ:
Quam mitem ut teneas,nec te querulere relictum,
Cum dare non poſſis munera,verba dabis.
Blanditias molles aureſque juvantia dicta,
Crede mihi,quævis noſſe puella volet.
Nec faciem,nec te pigeat laudare capillos,
Oraque,nam nulli non ſua forma placet:
Et frontis decus, & multis optata labella,
Et quicquid melius te meminiſſe putem:
Omniaq; ingenuæ facies præconia formæ:
Dulcibus eſt verbis mollis alendus amor.
Illa licet fœtam vincat feritate leænam,
Sit licet & ferro durior & chalibe:
Laudibus edomitum dabit in tua brachia collum,
Et ſenſim niveos pandet amica ſinus,
Oſculaq; adjiciet blandas imitata columbas,
Et ſi plura petas,non reor eſſe gravem.
Tantùm perge aditus per carmina quærere planos
Ad Dominam,& quovis dulcius ore loqui.
Nec tibi turpe puta mollem componere verſum,
Quem legat in medio Roma vetuſta foro;
Quem nec damnet iners, qui detrahit omnia,livor,
Nec ſpernant noſtri prætereantque ſenes.
Sin furit,& tetricas exæquat torva Sabinas,
Attonitum ſolis ſentiat eſſe minis.
Nec maledicta pati,nec verbera ſæva recuſa,
Prona nec ad teneros oſcula ferre pedes:
Aut quoſvis conſtante animo perferre labores:
Omnis amor lôngo vincitur obſequio.
Scilicet eſt aliquid lepidis ſervire puellis,
Et tam feſtivo ſubdere colla jugo;
Inter & accentus,& læti munera Bacchi,
Ambroſiis animum paſcere ſuaviolis.
Turpe ſenilis amor, juvenes caſeamus oportet:
Hæc Paphiis ætas luſibus apta viget.
Hic tuus eſt Circus,hoc laus tibi pulvere ſurgit;
Hoc quoq; poſtgenitis nomine notus eris.

Quum tibi præſertim cytharam tranſcribat Apollo,
  Nec neget argutos Calliopæa modos:
Attica nec deſit jucundis gratia dictis;
  Omnia quæq; Venus, quæq; Minerva probant.
Hæc tibi ſcribenti ſpatioſum pandit olympum,
  Templáque vulgari non adeunda pede.
Illa docet raptos iterum conjungere amantes,
  Inque pios Dominæ poſſe redire ſinus.
Macte animi juvenis, ſi præſens nauſeat ætas,
  Ingenio pretium poſtuma grande dabit.
Nos quoque, amice, tibi, doctorum præmia vatum,
  Quos juvat à tota poſteritate legi,
Heroas inter Statuam ſtatuemus & Aram,
  Ad quam perpetuo thure litabit Honor.

Lugduni Batavorum menſe auſpice
Anni Dominici CIↃ IↃ CXXXIII.

Zachariæ Lundii

Ad VINCENTIUM FABRICIUM.

cum ipſi valediceret,

ELEGIA.

MAgna tuæ matris Vincenti, magna ſororis
  Cura: ſed ô animæ maxima cura meæ:
Nec tantum Batavæ nuper dilecte Merillæ,
  Pæne puer puero conciliate mihi:
Aſpice quam dubia miſeri verſemur arena,
  Nec mihi præſenti, nec licet eſſe tibi.
Vix datur alterius ſpacium conſumere meſſis,
  Vix hyemes ſaltem continuare duas;
Protinus è noſtris iterum divellimur ulnis.
  Me miſerum! quantum heic Sors quoque juris habet!
Plus oculis, res nota tibi, te ſemper amavi:
  Tu quoque plus oculis me, mea vita, tuis.

Nos

Nos pariter curæ, pariter nos languor habebat:
Nulla mihi ſoli gaudia, nulla tibi.
Sæpe ſoror nobis thalamos conſtravit eoſdem,
Sæpe dapes hilari diluit illa mero.
Neuter in alterutro quod conquereretur habebat:
Labe mei mores, & caruêre tui.
Carmina, ſi recolis, tua cum recitare ſolebas,
Res erat à votis non aliena meis.
Quos ego laudabam, verſus placuiſſe putabas:
Hoc tulit à Muſis & mea Muſa tuis.
Non ſemel exhibui populo, te judice, verſus:
Non ſemel admonitu facta litura tuo eſt.
Plura quidem ſubeunt, ſed nunc ut plura loquamur,
Infelix, quæ nos diſtrahit, hora vetat.
Omnia ſi confers, dici Phocæus amicus
Non meret: à nobis quod didiciſſet, habet.
Illud amicitiæ blandum, at variabile nomen
Cum deerit, Niſus poſtmodo nullus erit.
Reſpice poſteritas. veri, ſi quæris, amoris
Lundius exemplum Fabriciuſque dabit.
Ah quoties dixi: ſeu mens præſaga ruinæ,
Talia ſeu fuerat ſueta ſubinde loqui:
Dî facite, hæc longos præſentia duret in annos!
Heu mihi! dicenti jam prope finis erat.
Dividimur, nec vota Deos habuêre faventes:
Corpora dividimur, pectora juncta manent.
At cur diverſis ſimiles ſecernimur oris?
Juncti animis, cur non corporibuſq; ſumus?
Aſpice, Vincenti, volucres ratione carentes,
Hæ comites, quibus eſt par color, uſque volant.
Ipſa ſodalitii venerantur flumina leges;
Incurrunt unas Alſtria & Albis aquas.
Et comites undas magno dat Lenza Viſurgi:
Et ſequitur Rhenum parva Moſella ſuum.
Si licet exemplis non immortalibus uti,
Flumina ſunt nobis pæne beata magis.
Vna mihi tecum cum mens ſit & vna voluntas,
Cur domus unanimes non alat una duos?

Digitized by Google

Vel tibi me comitem, vel te mihi ſumere fas ſit,
 Tam mihi magna tui, quam tibi cura mei eſt.
De te non dubito:de me tibi ſpondeo certè:
 Ipſe tamen melior tu tibi ſponſor eris.
Iam non ſola tuos Germania novit amores:
 Omnibus ignotos nec reor eſſe meos.
Sim ſane ignotus:nihil eſt:nec valde laboro.
 Me tibi,me notum ſufficit eſſe mihi.
Ne tamen heic etiam fidei tu vincula rumpas,
 Vt pariter ſimus,me,quod es,eſſe facis.
Quæ,dilecte,tuos inveſtit laurea crines,
 Hæc eadem capiti dimidiata meo eſt.
Deque tuis ſumptos meritis mihi tradis honores,
 Deque tuis tradis ſerta revulſa comis.
Quæ tibi debentur,pars eſt mea facta librorum,
 Ne minor inde mihi,quàm tibi ſurgat honor.
Noſcimur externis ambo, qui noſcimur intus,
 Et tu dum legeris,non minus ipſe legor.
Parcius iſta tamen:quæ tu, chariſſime,geſtas
 Illa meum nequeunt ſerta decere caput.
Tu magis ingenio es quàm nos feliciter uſus:
 Ingenio celebres cogimur eſſe tuo.
Tu facis hoc libriq; tui, tuaque aurea ſcripta,
 Aurea jam famæ nuncia facta meæ.
Hoc facit officium,facit hoc pietaſque fideſque,
 Quique precor maneat non labefactus amor.
Cetera res,& fas,& carmina conſcia dicent,
 Famaque quæ ſequitur publica teſtis erit.
Sic Maro Naſonem decorat, ſic Naſo Tibullum,
 Sic Titan radiis aſtra minora ſuis.
Cuncta ſatis ſic ſalva mihi,verſuſque librique:
 Sed nihil heic ſalvum ah iſta ruina ſinit!
Quas mihi communes parient tua carmina laudes,
 Me nihil,ut cogar te caruiſſe,juvant.
O pereant omnes potius cum Pallade verſus:
 Tu mihi,tu Pallas, tu mihi Phœbus eris.
Quod queror,ex animo eſt. ſcis me non velle videri:
 Et tua jam teſtis facta querela meæ eſt.

Tu lacrymans adſtas, lacrymis dum cingor obortis:
Tuque valedicis, nec tamen ipſe vales.
Vincenti! mi Vincenti! mora nulla viarum eſt:
Vota quidem retrahunt, non trahit hora moram.
Heic quoque, quæ ſuperi voluêre, velimus uterque;
Vtque diu valeam, tu prior ipſe Vale.

Ejuſdem.

TEutoniam oſtendet cunctis, me judice, terris
Fabricius, ſalvum ſi pia fata volunt.
Heinſius hæc de te. Qui dum fert talia, nomen
Oſtendit terris omnibus ille tuum.

Ejuſdem

De Merilla Fabricii.

RIdes, Vincenti, quod me præſente Merilla
Lividus exhauſto ſanguine pallor habet.
Deſine mirari. nequeo ſervare colorem,
Phœbus ubi radios perderet ipſe ſuos.

Digitized by Google

VINCENTII FABRICII

SATYRA,

PRANSVS PARATVS,

In Poetas, & eorum Contemptores.

Digitized by Google

Nobiliſſimo & Incomparabili Viro,

CLAVDIO SALMASIO,

Equiti, & Regio in Sacro Conſiſtorio Conſiliario

S. D.

VINCENTIVS FABRICIVS.

Diu eſt, Vir Nobiliſſime, cum nec vitia poetarum, nec eorum remedia pati potui. Arbitrabar non vulgaribus ingeniis contingere furorem illum; & tantæ omnium ſeculorum autoritati religioſe, ut debui, conſenſi. Cæterum, cum hoc tempore multa parum benigne de poetis vulgo jactarentur, quæ à vero non longe abeſſent, ipſe quidem ea ſtudia per otium aliquantiſper ſectatus ſum, ut tamen certo mecum nondum conſtituerem, quid de toto illo genere judicandum foret. Senſi tandem omnem calumniandi tempeſtatem ab iis maxime concitari, qui inanes aliquot ſenſus picturatis verbis, tanquam cymbalis circumferunt, quodque ingenio & eruditioni deeſt, ambitione, & audacia compenſant. Ad quem ſcopulum ipſe quoque eo frequentius impegi, quo à ſummorum poetarum excellentia, qui hoc ſeculo antiquorum gloriam ſupergreſſi ſunt, vel indolis, vel fortunæ meæ malignitate abſui remotius. Cum tamen adeo ſtupidus non eſſem, ut, quod perperam à

me fieret, ſentire nequirem: vicit nihilominus inveteratum κακόηθες, ut à verſiculis non abſtinerem, quoties otioſam horam năciſcerer. In quo genere nec placere mihi unquam, nec temperamẽtum etiam indicere potui. Sed vero, cum remedium omnino aliquod circumſpiciendum eſſet, ad eam rem eſſe id viſum eſt vnicum, ſi dicaci libertate ipſe me, & ſodales aliquot meos, qui non multum, ſed plane tantum, quantum ego, ſapiunt, inceſſerem. Nempe, ut vel convitio admoniti, ab ea gloria advocaremus animos, & ſtudia inania, quæ ſummos, incomparabileſque viros Aeternitati conſecravit. Atque idcirco ante biennium ſcripſi quiddam quaſi Satyram: non tam ut ingenii laudem quærerem, ſed ut meam, meique Cluvieni vanitatem ſufflaminarem. Vides, Vir maxime, quam iſta meditatione nihil actum ſit. Neque enim retineri potui, quin denuo repente poeta prodirem, ne plane ludibrium publico non deberem, quem ſatis ſuperque amici hactenus traduxerant. Qua in re aliquid ſimile eſt ei malo, quod multis ſolenne eſt

Εἴκοσι τὰς πρὸ κυνὸς, καὶ εἴκοσι τὰς μετέπειτα.

Quamvis enim, cum in conſpectu adumbratæ quietis pauliſper ſunt, ſuæ mentis eſſe videantur; tandem tamen feruntur ſolito æſtro. Sed, ut familiaribus meis conſtaret, non tam eam mei judicii, quam mali moris, & ſeculi labem eſſe, totum hoc convitiorum plauſtrum cum ſuperioribus conjunxi. Id qualecunque ſcriptum, Vir illuſtris, ad Te mitto, ut ſaltem, quid judicem, ſentiamque, intelligas, qui morbi mei vehementiam non ignoras. Puto autem facilius

Digitized by Google

emendari me poſſe, ſi voluntatem meam Tuis monitis juveris, qui præclara omnia videns, & optans, meo tamen remigio ſolus eluctari nequeo. Neque vero de affectu aut ſtudio Tuo dubitare me pateris. Cùm enim infinita illa eruditione admirationem, laudeſque omnium exceſſeris; candoris tamen, & amoris laudibus, quæ humilium propriæ ſunt, etiam mihi Te æquaſti.

PRANSVS PARATVS, SATYRA.

DElíramenta cui audire non vacat, è mundo exeat oportet. Ea nunc humanarum rerum ratio eſt. Me quod attinet, memini ſane temporum, quibus natus ſum. Novi quendam, cum prudenter, multa monuiſſet, ſuæ tandem vernilitatis pænitentiam egiſſe. Non enim magis intelligebant homines quid diceret, quam ſi Mexicana lingua locutus eſſet, aut Punica. Qua tamen fide pleraque hodie negotia tranſiguntur. Nuper enim vernacula facta eſt, poſtquam poſſeſſione Veritas dejecta cum ſua ſibi ſorore lectiſſima puella, Libertate vicatim mendicare cæpit. Mappam jam miſit Prętor. doli, fallaciarum, deceptionum Megaleſia ſunt Concurritur undique: aliique alios impellunt, impelluntur que. Inter hæc tamen aliquot homunculi, cum, quod agant, non inveniunt, bona fide dormiunt. Hebetiores fortaſſis, quam ut verſutiis, aut dolis animi mentem accommodent. Ineptus plane Ariſton fuit, qui dimidium vitæ noſtræ ſomno perire queſtus eſt. Mihi tunc demum beatus videor, cum alto compoſitus ſopore, iiſdem mecum ſtragulis quietum, & defæcatum animum involvo. Curæ autem omnes, & moleſtiæ diurnæ adductis cortiniis faceſſunt. Poſtridie ſomnia mea recordor; aut etiam quandoque inter amicos cantillo. Alios mores qui à me exſpectat, ab eo poſt annos mille proximos conveniendus ſum. Quo tempore ſi fortaſſis peregre abero, imputet ſibi, quod ſine ſuffragio populi alienæ vitæ cenſuram egit. Porro ex Ariſtotele didici, quo quiſque melior ſit, eo meliora eum ſomnia videre. Admirabile eſt, per Morphea, quantum promoverint Philoſophi. Equidem cum verecundas hactenus de me

me ſententias dixerim, parũ jam à faſtu abſum, quod tanto autore ſomniorum qualitatibus virtutes metior. Nec enim profecto aut dormiendo cuiquam, aut ſomniando concedo. Sed & hic morbus hodie non paucos tenet. Tota Vrbe nuper audivi aut opes, aut genus, aut facta denique ſua narrantes: id eſt *vitrea fracta & ſomniorum interpretamenta*. Per omnes articulos populi hæc mali gangræna permeavit. Neque templis parcitur. Vbi quandoque turbulenti ſoporis reliquias imperitæ plebi benigna manu Ariſtander aliquis, aut Tireſias diſpertit. Vt de Stentore nihil dicam. Iam olim impune auribus noſtris inſanis clamoribus abutitur. Poſtquam enim ad lucernam ex pædagogo neſcio quæ fruſta ineptiarum ſublegit, ea per noctem male digeſta, ſi imprimis uxorcula latus pupugit, ſummo mane Sticho alicui, aut Myſidi, ex umbone, tanquam oracula jactat. Veluti

Gallinaceus cum victor ſe gallus honeſte
Suſtulit in digitos primoreſque erigit ungues.

Poſt quæ omnia mirifice ſibi placet. Frontem hominis arrogantiſſimi ſexcenties vidi. Crede mihi, tam fimbriata eſt, ut vel Hermaphrodito ſufficiat. Sed quid ſomniaverim nuper, explicandum eſt. Nimis ambitioſe evagatus ſum, non tam meo vitio, quam ſeculi quo nemo ad ineptias, niſi magno molimine, & prolixo ſyrmate accedit.

Proximis Eidibus, cum, ut conſuevi, ad dormiendum me compoſuiſſem, mirifica imago quieti meæ illuſit. Nondum noctis meridies erat, & viſus ſum in Atlantico Oceano, debili & parva ſcapha navigare. Nemo quærat, unde ratem ſolverim; quæ cauſſa viæ, quæ negotia fuerint. Ea ſomniorum ratio, ut non aliter conſtet, quam ſi nemini reddatur. Et præterea, cum dormio, mirum in modum obliviosus ſum. poſt ſomnum autem neſcio quo pacto moroſior. Statim odi, ſi quis inviſis quæſtiunculis moleſtus eſt. Haud paullo civilior Lucumonibus aliquot, qui annis ſuperioribus itineraria ſcripſerunt. tanto omnino appa-

ratu, ut, cum vix bis mille paſſus promoverint, tibi ſexaginta paginæ legendæ ſint. adeo ſollicite ſingula perſequuntur. Alius aurigæ nomen, & portæ, qua egreſſus eſt, amplitudinem; alius arborum numerum & villarum feneſtras otioſe recenſet. Expecto jam, qui quanti ocreas emerit, quis gladium fabricaverit, bigiſne, an quadrigis vectus ſit, qua ſorbitiuncula ſtomachum fulſerit, exponat nobis. Navigabam itaque ſine ſociis, ſine magiſtro. Idque, per Nerea, ἀθαλάττωτος, ἀσαλαμίνιος. Sed ad illam miſeriam dormiendo perveneram. Quid de illis cenſes, qui publicorum momenta conſiliorum imperitis committendo, ſalutem Reipublicæ, etiam cum vigilant, profanant. Perigeſiam, urbem magnam, & celebrem nemo ignorat. Ego in ea bonam ætatis meæ partem exegi: ſed ad poſtremum, cum quorundam inſolentiæ tęderet, diſceſſi. Invenias illic homines aliquot ſtolidos, atque arrogantes, qui publica autoritate poſthabita, magiſtratus patientiam jam olim tentarunt; nunc tentatam traducunt. Itaque confertim, καὶ ἀπὸ ῥυτῆρος, ad diripiendam Rempublicam convolatur. Nemo eſt, qui ſe non optime tenere clavum poſſe confidat: cum pleriſque vix in ſentina ſit locus. Neque nihil actum eſt. jam olim virum venerandum, Plutum, ad ſe tranſtulerunt. Mox, ut fit, audacia ſucceſſu elata, ad ſubruendam dignitatem Patrum erupit. Quibus, proh pudor, velut inſanis ac prodigis, bonis interdictum eſt. Ita viri graves, quique ingenium per varias ſcientiarum rationes direxerunt, ſuis rebus ſupereſſe non poſſe judicati ſunt: poſtquam quorundam ſapientia ſe ultra cinnamomum, & piper extulit. Sed, ut cæperam dicere, primo quidem levibus auris impelli ſcapham ſenſi. E longinquo autem Atlantis vertex mari imminebat. Quem dum curioſe ſpeculor, quod infinitas ejus deſcriptiones olim legiſſem, ecce tibi nimbum, & grandinem, & tonitru (nihil enim poſſum inſanius dicere) bona fide poëticum. Ibi ego, quem fortuna inter rabiem maris, cælique deprehenderat, nuga-

nugarum omnium oblitus, quo caſu eo deveniſſem, à me requirere cæpi: mox etiam animo linqui. Atque ita in cymba porrectus aliquandiu jacui; donec incidens fluctus frigore aquarum deficientem ſpiritum recollegit. Mox in vaſtas profundi maris voragines delatus, alternantéq; fluctu ad aſtra revolutus, ſpem, opemque, quæ in arte nulla erat, à ſuperis expoſcebam. Subiit exinde cogitatio quanta miſeria ſit avaritiæ, quæ ad aurum, ſpemque lucri dubiam, etiam per tempeſtates, & fluctus vadit. Et, per Deum, quotuſquiſque eſt, qui ſaltem palleat, cum tam audacem profeſſæ mortis viam ingreditur. Iſtam ſcilicet ferociam amor habendi miſeris mortalibus perſuaſit. Cur enim naviget, aut quid petat ex aliena terra, cui ſua ſufficit?

Vſque adeo eſt inviſa quies, anguſtaque tellus
Vt pereas? Mediis diſcrimina quærit in undis,
Damnaque ſectatur, cumulatq; pericula damnis,
Argenti veſana fames. mox provocat ultro,
Et ruit in mortem, delectaturque priores
Iacturas mutare novis audacia præceps.
Et jam vile nimis placido decurrere ponto
Eſſe putat, zephyroſq; vocare in carbaſa mites;
Sed glaciale vaga pelagus tentare carina,
Hibernam vaſtis emotam aquilonibus undam
Excipere, in mediis agnoſcere Nerea tranſtris
Materiem laudis præſumit, amatque videri
Contempſiſſe Deos, ipſiſque occurrere fatis.

Dum ita mecum ſtomachor, animæq; prodigus, quo unda, ventuſq; rapiebant, feror inconſultus, ſubito poſuiſſe Notos, & in proximo tellurem eſſe animadverto. Mirificus hiſtrio Morpheus eſt. Et jam excenſionem feceram: jam nuſquam fluctus, nuſquã tempeſtas erat. plane imago eadem, quam in quorundam orationibus agnoſcimus. Qui cum inſano hiatu periodos aliquot eluctati ſunt, mox agno manſuetiores; tenue quid, ac pullo nuper excluſo ſimile gemũt. donec poſtremo in fumos abeant. Novi alios, qui iſta

inter

Digitized by Google

inter ſe belle miſcent, ut fiat cinnus. Cæterum loco ipſo nihil formoſius. Portus vivo marmore cavatus, inſigni receſſu ſinum formabat. Campi, qui circa erant, lauretis conſiti, delicato nemori, miro ingenio prata viridantia, & porrecta in longum miſcebant. Per quæ rivuli leni ſuſurro trepidantes, ſoli virorem quaſi virgulis quibuſdam argenteis diſtinxerant. Quę omnia dum ſollicite circumſpicio, tantumque ſolitudinem in amæniſſimo loco miror, reflexis ad lævam oculis aurea columna, lucidis conſcripta literis, qualis Adamantis fulgor eſt, objicitur. Vbi propius acceſſi, curioſoque oculo preſſius ſingula noto. ita ſcriptum erat:

P. F. LIBERI. PATRIS. SACRAM. INSVLAM. POETARVM. PATRIMONIVM. SI. QVIS. INERVDITO. PEDE. PRESSERIT. NEPHELOCOCCYGIAM. FODERE. DAMNAS. ESTO. QVI. CVM. OPVS. ERIT. EXPEDITO. CARMINE. INTERROGATVS. NON. RESPONDERIT. BAVII. FÆCES. QVOTIES. EI. EXCIDERIT. VERSICVLVS. LIGVRIRE. DAMNAS. ESTO. ACCIO. IDEM. QVOD. TITIO. IVS. ESTO.

Obſtupefacto novitate tam putidæ legis inſolens videbatur, vites nullas cōſpici in Bacchi inſula. Ardebam autē cætera audaci inquiſitione cognoſcere. Sed præcipuum carmen legis ad me pertinere arbitrabar, quod nec eruditionem in me ullam agnoſcerem; & de Poëtica mihi, amiciſque aliquot meis, præter vanitatem, & ſcribendi pruritum nihil ſupereſſet. Cæterum quæ illa Nephelococcygia foret, non magis ſciebam, quam Frilēgius bonos verſus facere. Obfirmato tamen animo indagare tam horribile ſecretum præſumpſi. Excuſſi eadem opera ſarcinulas, inventiſque verſiculis quibuſdam, velut viatico inſtructus, etiam placere mihi, ut ſolent poëtæ inficeti, ingenioque favere cæpi. Aliquantulum progreſſus in ſenem

ſenem quendam incido, pando aſello vix hærentem: ut ebriū agnoſceres. Qui, ſimul ut me cōſpexit, heus, inquit, adoleſcens, cave pergas, ſi verſus non facis. Atque adeo è veſtigio carmen prome; niſi mavis Herois Bavii analectes eſſe. Fulminatus tam ſevera pronuntiatione, ſubitoque ſtupore defixus, cum nihil ipſe excogitare poſſem, ut nunc mos eſt, de alieno ſumpſi. Parce, inquam, pater, adoleſcenti, & peregrino, quem ante hunc diem fortuna nunquam indulgenter habuit.

Πολλὰ δ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε δόχμιά τ' ἦλθον.

Ille ſubridens: belle puſio, inquit, an nondum didiciſti calvo comato nihil turpius eſſe? Ecquid idcirco impune futurum te exiſtimas, quod Homeri ſcrinia compilaſti? Ad quæ ego, mi pater, inquam, da veniam, ſi nihil dolo malo feci. Nuper in hanc terram neſcio quo fato ejectus ſum. Cæterum iſtis in locis, unde veni, illiberale amplius non habetur, laudem ex alieno opere libare. Memorare multos poſſum, qui cum teſſerulas quaſi ac fragmina ſcriptorum moleſtiſſimo labore conſtiparunt, eruditionis typhum induunt. Novi, qui ſecure admodum totas pagellas in forulos ſuos, ac thecas averterent. Tam feſtivo artificio, ut nemo plagium non videret, niſi qui ſuperiori ſeculo mortuus eſſet.

Me dulcis amor multa ſciendi
Impulit ultra proferre pedem.
Teneras Muſas, verſuſque rudes
Duco comites, ſocioſque viæ.
Modicæ ſtirpis, nec conſpicuus
Vllis opibus: candore tamen,
Et probitatis laude decorus.
Si promereor jungere dextram,
Per ſuperos te, geniumque loci,
Canoſque tuos precor, errantem,
Miſereque vagum, limite certo
Dirige, monſtraque viam, pater,
Dubio, quo me ſævi expulerit

Fortuna

Digitized by Google

Fortuna maris, rigiduſque Auſter.
Sic tibi ſuavius illa ſenectus
Inter citharas, madidaſque roſas,
Et dulce merum, viridi ſemper
Tranſeat ævo. Sic tuus ille
Ilia ſero ducat aſellus,
Lenique gradu mollius ambulet.

Delectatus verecundia mea ſalſiſſimus ſenex, ſalve, inquit, optime, & ad te redi. Nihil eſt quod metuas, poſtquam à Poetica non abhorres. Scio in veſtro mũdo aliquanto honeſtius eſſe fullonis nomẽ, aut ſcurræ, quam poetæ. Sed vos iis moribus vivitis, quibus aut ambitio, aut ſtultitia obſcura ingenia inſuevit. Itaque *omnes feſtivi vobis, belli, ſaperdæ videmini, cum ſitis* σάπροι. Multum ſuperis debes, adoleſcens, ſi eruditionem contemptu ineptiarum auſpicari didiciſti. Sed de Poëtica poſtea videbimus. Hoc nunc ſcias, Aproſitum hanc inſulam vocari; eamque unam ex Fortunatis eſſe. Reliquæ aliis Diis, hæc Bacho ceſſit. Quoties enim cæli, ambroſiæque eum ſatias cepit, commutat locum, atque huc ruſticatum tranſit. Vbi cum Homero, & Archilocho, cæteriſq; genio indulget, & pernas lurcat. Eo enim cibi genere vehementer capitur. Sæpius audivi, cum diceret, ſuillis glãdiis ſuffultum ſtomachum majori cum delectatione vinum admittere. Itaq; apud poetas, ut audio, ea re nihil jam vulgatius. Eſtne, ut ais? inquam. Sed de Homero, & Archilocho quod dicis, non bene percipio. Vtrumq; mox heic tibi ſiſtam, inquit. Ducenti jam anni ſunt, ex quo hujus inſulæ cives poetæ facti ſunt. Cum enim P. Ovidius Naſo, homo ad libidinem abjectiſſimus, in optima Dearum Proſerpina aliquot noctibus pervigilaſſet, Pluto, ut fit, ſubſeſſorem non ferens, omnem poetarũ nationem tartaro ejecit. At vero Liber pater, qui, ut noſti, ſodales feſtivos amat, lepidos mortales in hanc inſulam, tanquam in coloniam deduxit. Ego Silenus vocor. Quod, ut opinor, ex habitu licuit ſcire. Civitati autem noſtræ ab epiſtolis ſum, quoties ad Deos, homi-

hominesque ſcribendum aliquid eſt. Nec pudet muneris illius, dum ſit, rumen qui impleam. Nam & ipſe apud ſuperos turbavi aliquid. Cum enim alumnus meus Pudicitiam Deæ Palladis multis tandem precibus eviciſſet, poſt delicatiſſimos amplexus

Τόσσον ἐκύρησεν, ὅσ᾽ ὀ πευσεῖοθε βέβαλοι.

Cæterum illa delectata tanta feſtivitate, cum abeſſet Bachus, ſolatium frigoris ſui à me petiit. Scires me nondum exaruiſſe plane ex amœnitatibus. Itaque *a more cecidi, tanquam blatta in pelvim*. Porro quid egerim neſcio. Illa ſaltem diu ſatis abuſa peculio meo, cum uterus intumuiſſet, celarique vitium nequiret, vim ſibi à me factam queſta eſt. Vbi itaque poſt tot domini mei delitias fabam in me cudi ſenſi, prudenti abſentia Bacho, atque amicæ conſului. Atque hujuſmodi calamitas apud vos multis, ut arbitror, mecum communis eſt. Neque enim novum eſt alienæ culpæ ſuccidaneam victimam ſubdi. Commodiſſime autem adveniſti nobis, ô hoſpes. Hodie enim ludi fient. Priſca conſuetudine receptum eſt, ut quotannis S. P. Q. Poëtarum ſolennia inſaniant. Sed ne enerventur otio generoſæ mentes, id vero Liber pater unice curat. Feſtivitatem itaque annuam aliqua ſtudiorum ſeveritate condit, & temperat. Eoque mittit ſingulis annis pugnacem aliquem, & litigioſum, qui genti noſtræ negotium faceſſat. Nuper Dormitantium quendam Mercurius auricula arreptum, ex Germania veſtra huc deduxit. Qui bellis concluſiunculis, & ſexcentis ſyllogiſmis oſtendat, poëtarum gente nihil contemptius eſſe. Vides negotium dignum eſſe inſigni acumine: Itaque communi opera, atque impenſa defenſionem parant. Iovianus Pontanus ei rei deſtinatus eſt. Qui niſi probe rem gerit, jam dudum peſſime periit. Proximo ſuperiore anno poetarum cauſſam Nonnus, loquaciſſimus Sophiſta, oravit. Quid quæris? Scopas ſolutas dixiſſes, & aquas bullientes. Toto itaque anno allium edit, & blitum. Singulis porro menſibus, in medio foro, per

unum

unum diem integrum, colaphis os turgidum depalmandum præbet. Hæc priſco more pœna invaluit, ſi quis à noſtris partibus parum fortiter ſtetit. Præterea hoc anno cenſus agetur quoque, & luſtrum condetur: Heic exultans ego, feſtiviſſime Silene, inquam ita & Venerem, & Cererem, & Iunonem poſt Pallada inclines, ut ego ea, quæ narras, ſpectare audeo. Ille palmam meam lenta manu permulcens, ſequere ergo, ait; non invideo eam voluptatem tibi. Et cum dicto animal ſuum tractim ardua fuſte tangere cæpit. Non minori, per Bacchum, ſeveritate, quam qua Cecropidæ noſtrates, cum hominem eruditum vident, ſupercilium corrugant. Verum Sileni noſtri aſellus, tot jam verberum impatiens, excuſſiſſimã calcem in coxendicem mihi impegit. Non erat iræ meæ locus in alieno regno. Sed nec novi aliquid acciderat. Memineram apud nos idem multis ſæpe licuiſſe, non tam fortibus, aut generoſis; ſed qui largiores fortaſſis aures haberent. Ne tamen ſine fabulis iter fieret: Quæſo te, inquam, pater, cum tam ferox illud jumentum ſit, cur equo non uteris? Ille adducta frõte, paullo, ut videbatur aſperior: Satis curioſus es, inquit, adoleſcens: ætatis fortaſſe vitio, ut fit. Sed ſcias, id nos dare operam, ut tam pigrum animal ſervire ſe ſentiat. Novi apud vos diverſam vivendi rationem eſſe. Poſtquam enim ad equos adſcendiſtis, jam aſini hominibus inequitant. Vlterius provectis, tandem conſpectæ vineæ loquacitati ſenecionis fidem fecere. Non credo quenquam Deorum prædium habere elegantius: tanta venuſtas ubique collium, tanta vitiũ amplitudo erat. Cæterum uvæ uberrimo ſucco diſtentæ, paullatim ruptæ, liquidiſſimo fluxu argenteos illos fluviolos in campos ſenſim derivabant. Silenus, ubi me feſtivitate ſpectaculi attonitum circumſpectare videt, in proximo aureum racemum oſtendit inſignibus uvis onuſtum. Quarum aliquot decerptas ad os mihi, quemadmodum pueris nuces ſolemus, objecit. Cum autem ego præ verecundia guſtare

Digitized by Google

guſtare erubeſcerem, ut qui omnia divinitatis plena arbitrarer, ſalſe ridere ſenex cœpit: Et O, inquit, adoleſcens, quam vitioſe, ubi opus non eſt, pudorem induis! Idque, ut opinor, commune tuæ gentis malum eſt, non niſi in rebus perditiſſimis frontem ponere. Cum ad ea, quæ prodeſſe vobis poſſunt, timide, tanquam ad Scyllæum aliquod ſaxum, & religiosè accedatis. Sed quoniam magnis negotiis hodie interfuturus es, multaſque auditurus ineptias, paucis uvis ſtomachum fulci, ne nauſeet. Mirificæ ſane virtutis iſte ſuccus eſt. ſentieſque eo guſtato animum amænitate incredibili hilareſcere. Sordes plane ſtuporemq; mentis arcet, ſi abeſt, aut ſi adeſt, adjicit. Placuit conſilium, ſumptiſque aliquot baccis ingenti dulcedine pertentari pectus ſenſi.

Quales purpuream quoties fugientibus aſtris
Solvis, Phœbe, comam, nebulas diſcedere triſtes,
Nocturnoque Noto, rigidumq; humentibus Auſtris
Aëra componi tranquillo ſidere vidi.
Stat nitidis ſplendens radiis, & purus Olympus,
Indulgetque ſolo naſcentia ſemina lætis
Auctibus. Exultant animalia ſole reducto.
Talis eram, cum me ſuccus cæleſtis adegit
Ponere mœrorem. cum membris omnibus almus
Se liquor inſinuans, ipſo ſub pectore blandam
Virtutem exſ ruit. Senſi fugiſſe pavorem,
Non animi morſus, non læſæ vulnera mentis
Intus erant. ſcelerum veſtigia nulla. ſed ingens
Ardor Pegaſeas propius cognoſcere Muſas.
Et laudis generoſus amor, livoris acerbi
Securus, ſolumque animo complexus honeſtum.

Perrexi itaque alacriter, & quaſi œſtro quodam percitus, tarditatemque ſenis mei identidem caſtigans. Et jam aula in proximo, ampla ſane, & ſpecioſa, tantoque luxu conſpicienda, ut Regum potius, quam poetarum domicilium videretur. Vix portam ingreſſo in angulo, qui ad lævam erat, elementa literarum huc illuc diſcerpta, variiſque gyris volitantia apparebant. Iuraſſes apium examen eſſe. Interea juvenes

duo, & unus ſeneçio obſtipo capite ſedebant, literas fugientes ore, quandoque manu captantes. Vnde cum vix inſano labore, voculas aliquot inconcinne & incondite conſuiſſent, invicem alter alteri plaudebant, quaſi rei maximæ compotes. Delectabar admodum hiſtrionia tam feſtiva. moratuſque paululum: age vero, inquam, pater, ut lepidas occupationes habent mortales iſti! Immo ſane, ait Silenus, adeo felices ſua ſunt ſententia, ut præ hac voluptate Salaminem nolint, aut Babylona cepiſſe. Sed, ne ſis neſciẽs, hic labor miſeris non profecto propter Helenam, & Trojam, ſed propter elumbes aliquot, & famelicas voces ſumitur. Ipſi Anagrammata vocant, quoties elementa nominis alicujus fœdiſſime dilacerata in putidam, ac deplorandam ſententiam cogunt. Interdum ſarcinam inſulſiſſimorum titulorum addunt, ut plenior ſit nugandi materia. Novi, novi, inquam ego, optime & dulciſſime Silene. Nunquam librarias impune ingredior. Continuo mille Anagrammatum ſcriptores & caput, & circum volitant latus. Et ſane haud raro talibus lectis & auditis inflato ventre diſceſſi, non aliter quam hi, qui muſto poti ſunt: ut opus haberem vomitu. Eſt, ut ais, fili, inquit Silenus. Sed faxo, hodie videas pædagogos iſtos omnibus exemplis, & modis infelices fieri. Et cum dicto in interiorem aream manu pertraxit. Vbi inter cætera viſu miranda amplum & operoſum Amphitheatrum exſtructum vidi. In quod eo tempore Poetæ magno agmine confluebant.

ἀγτρόος ὄχλος·

Ωθεῦνθ' ὥς-ε ὕες.

Facile mihi erat ſingulos cognoſcere. Id beneficio guſtati liquoris cõtingere ajebat Silenus. Intravimus una cum turba. Cumque conveniſſent omnes, ſingulis locus à Sannazario datus eſt. Is, cum ſuperiori anno magiſter palatii fuiſſet, eo tempore deſignatoris munere fungebatur. Silenus dimiſſo aſello juxta ſedebat. Satis opportune: quo certius omnia, quæ agebantur, diſcerem. Non puto quenquam exigere, ut

tam

tam celebrem conſeſſum prolixe deſcribam. Neminem vidi ibi, qui admodũ magnæ rei eſſet: niſi quod poetæ erant. Quod nomen cum pro indole cujuſq; ac ſenſu precium inveniat, vel contemptum, ſolum poſuiſſe ſufficit. Aderant autem cuncti, qui apud Græcos, Latinoſque ad noſtra uſque tempora claruere. Præſidebat omnibus Æſchylus. Quæ dignitas illis annua eſt, & in orbem it. Poſt aliquam moram, nihil admodum vidi, quod tanto apparatu dignum eſſet. Atque id ſatis quoque poeticum: quoties ſcilicet fumus ex fulgore datur. Imaginem tantum homunculi cujuſdam glorioſi, &, ut videbatur ex pictura, indolis bona fide pædagogicæ, in arena media ſimiis aliquot & cercopithecis diſcerpendam objecerãt. Quod cum valde frigide riſiſſent omnes, Silenus mihi in aurem, Pogonille, inquit, cujus picturã perire vidiſti in Germania veſtra infinitas chartas concacavit. Cum enim admirabili & ſtupenda induſtria portentoſã eruditionem collegiſſet, horrendis voluminibus in lucem emiſſis, documentum dedit, quam miſere bonis literis cum putido judicio conveniat. Non puto vivere quenquam, qui majorem eruditionem minus feliciter digeſſerit. Si inſpicias ſcripta, delirium ſæpe; aliquando manifeſta phreneſis elucet. Omitto vitam, & mores monſtroſos: quandoquidem ii jam in ore literatorum hominum, & communibus proverbiis verſantur. Inter alia autẽ, quæ inſano conatu in publicũ extruſit, una in re vanitatem omnem, ſeq; ipſum ſuperavit. Cum enim annotaſſet, ſi quando poetæ hujus aut ſuperioris ſeculi illuſtriores in ſyllabis, ac tono fuerant lapſi, eas hallucinationes, in capita aliquot incluſas, mundo prodidit. Peſſimo ſane exemplo, & quo S. P. Q. Poetarum, qui Aproſitum incolũt, impune eſſe paſſi non ſunt. Eoque quotannis feſtivitatis noſtræ auſpicium à tam lepido ſpectaculo petimus. Vbi vero fata ſua hominem huc adegerint, præludium illud in caput ipſius expetet. Nam & ipſe aliquando carmen ſcripſit, paullo cultius, quam quæ nunc vulgo fiunt. Niſi quod animi impotentiam, in

Digitized by Google

verſibus quoque invenias. Luxuriant enim, & turgēt: pariterq; humiles ſunt. ut ibi potiſſimum evaneſcāt ubi magna minantur, & præclara. Garriente adhuc Sileno, præconis voce, is Baptiſta Mantuanus tunc erat, poetarum natio in campum evocata eſt. Venerat enim hora certaminis, quo indiſcrimen honos, atque exiſtimatio Poeticæ vocabatur. Nec mora. Proruentibus omnibus, ipſe quoque ſomniando eò pervenerā. Mira heic rerum facies, & viciſſitudo Nam & præſens pavor, & futuri exſpectatio omnium animos repentino ſtupore defixerat. Iamque illi ipſi, qui paullo ante calamitati Pogonis faventes, crudele gaudium ex ludibrio picturæ hauſerant, aſellis omnibus iniquiores, dimiſſis auriculis ambulabant. Deus bone, quæ iſta levitas, quæ inconſtantia! Quid enim? Annon, ubi animus in verſu eſt, adeo incedunt fortiter, tanto impetu periodos torquent, ut ardere dictionem dicas, ut magnanimos, liberales, mentis arduæ, ac cæleſtis libenter credas? Sed eidem paullo poſt, quando elanguit ſtultitiæ fervor, ſpiritum tam generoſum, tam altum, aut metu aliquo ridiculo, aut ſtolidiſſima invidia contrahunt: omnis jam divinitatis, omnis ſpei, & glorioſæ eloquentiæ obliti. Iam prodierat in medium Dormitantius, inceſſu ſtrenuo, ac forti contemptum præ ſe ferens. Nam & frontem tuberoſam corrugaverat; qua tunc quidem cenſuram omnis Poeticę ſuſtinebat. Ibi Silenus: ecce, inquit, hominem militarem, qui hodie fluctus in ſimpulo dabit. Eſtne? inquā ego, & tam inficetus ſenex maximis viris audebit obloqui? Viſne exclamem, pater,

ἄρν' ἄρνα μέλαιναν;

Sane, ut apparet, turgidis oculis, ac rugis iſtis ventos jam, & nimbos contrahit, quibus feſtivitatis hujus ſerenitas turbetur Omitte metum, inquit Silenus: nihil periculi eſt. Videbis mox omnem illam tempeſtatem cavillis aliquot, & ſannis, quaſi pulveris jactu cōprimi, & quieſcere. In media planitie tumuli duo, in modum tribunalium, elevati erant. Quorum alterum Dormitantius, alterum Iovianus conſcendit. Arre-

ctis

ctis in maximam exſpectationem animis, poſtquam præco audientiam fecerat, Dormitantius igneũ quid, & tyrannicum ſpirans, poſt violentos flatus, vix ægre turbato pectore evolutos, in has tandẽ voces erupit:

Si ambitioſus eſſem, Viri Poetæ, aut adulator commodus, loquendo blãdius aculeum veſtræ ſeveritatis fortaſſis evellerem. Sed, cum vaniſſimi quiq; turpiter ſerviant, famæque, & dignitatis præſidium in veſtris verſiculis quærant; ab iſtis mortalibus animum, mentemq; jam olim adoleſcens ſegregavi. Neq; itaq; hac die quicquã dicturus ſum, quod vobis placeat, quos odi peſſime: neq; poſt hoc tempus à moribus iſtis, ac inſtitutis diſcedã. Non enim me vehementer illa frõtis veſtræ, & oculorum rabies percellit. Scio vos, viri poetæ, ferociã carminum nunquam ad facta, aut pugnas transferre. Fruamini itaq; per me illa fortitudinis imagine, ut, in quem, præter edẽtulos verſus, nulla arma ſuperſunt, eum aſperitate vultus, & minacibus oculis juguletis. Ego tutus numine maximi Deorum Liberi Patris, audacter gladium ſtringendo ad ipſa viſcera vanitatis veſtræ perveniam. Securus omnino, quantum turbarum daturi ſitis, ubi inſanum calamum rapueritis.

Ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστι, καὶ στωμύλματα.

Principio itaque ſic habete: conſtare jam omnibus, leviſſimi ac impudiciſſimi cujuſq; nefarias libidines in illa veſtra poemata, quaſi in ſentinam aliquã exonerari. Scio, quam vulgaris illa querela ſit. Sed eo magis oportuit peſſimam profeſſionem ex orbe terrarũ profligari, quod ſcelerum ac flagitiorum omnium ubiq; jam rea peragitur. Omitto eos, qui palam tabernam meritoriam, & lupanar exercent. Inter quos Catullus ille, & Naſo, & Martialis ſunt, quorum inverecundos oculos, & pene adhuc patrãtes, libertatẽ meam ægre intueri ſentio. Delicatos alios, & fluentes potiſſimum accuſo, qui ſingularem nequitiam molliſſima dulcedine carminum protegunt. Quibus dum inſueſcit juventus, verborum illecebris delectata pauliſper, mox ingentem meſſem ſegetemq; vitiorũ non tam januâ

 recipit.

recipit, quam per pſeudothyrum intromittit. Quis unquam noſtris temporibus repente prodiit poeta, qui non maximam carminum partē ſcurrilibus amoribus inquinaret? Nunquid, ſi quando puſio aliquis una nocte in Parnaſſo ſomniare ſibi viſus eſt, cōtinuo poſtridie apud columnas omnes, & periſtylia, Phyllis, aut Theſtilis proſtat, *aut ſi cui alii puellæ præcoquis libido ineſt.* Adeo poſt primū ſtatim verſum Amor nec auditus, nec viſus antea, in præcordia ſummi vatis incidit. Et tunc denique rubor genarum, labiorū purpura, oculorum argutiæ, & ſi quid præterea in puella memorabile eſt, in omnibus poetæ paginis invenitur. Accedit deinde:

Ἰῶν τιτθίων ὡς σκλῆρα, καὶ κυδώνια.

Vel ut alius:

Ω ςέρνα, καὶ παρηΐδε, καὶ ξανθαὶ κόμαι.

Poſt quæ aliquanto hilarior jam factus vates noſter totos dies cantillat:

Properate vivere puera,
Quas ſinit ætatula ludere,
Eſſe, amare, & Veneris tenere bigas.

Inter has nugas ineuntis ætatis tempus tenebricoſiſſimum exigitur Animus autem eviratus laſcivia argumenti & protervis luſibus, an ullam deinceps admittere ſapientiam poſſit, interrogate quæſo impudentiam veſtram. Itaque tot ingeniorum ſpes, in ipſa herba, iſtis corruptelis ſtudiorum hauriuntur, ac pereunt. Paullatim enim eo deveniunt, ut nihil cogitēt, niſi baſiationes illas, & papillarū oppreſſiunculas, & feſtivas noctes, & cætera nugamenta, quibus otium veſtrum occupatis. Antiphanes quondam dixit, regionem eſſe, ubi per hiemem voces cōgelentur, quæ demum æſtate proxima, ſoluto frigore, exaudiantur. Ita ſane poematum veſtrorum obſcænitas latens aliquātiſper ſub verborum ſuavi involucro in animum admiſſa, paullo poſt impuritatis, & libidinis manifeſta, juvētutem iis, quos videmus, moribus imbuit. Amatur enim ubique, potatur affatim. Nec raro inter hujuſmodi negotia fervet alea. Vbi poſt exhauſtos loculos

Digitized by Google

los tandem bonæ ſpei decoquitur. Adſtat miſero, & favet infelici Lesbia, aut Dælia quædam,

Ετέρȣς ἑτέροις μεταμειβομένα:

honoremque, ac famam, quam in poematum libello habet, baſiis compenſat. Noſter vero

μελιγλώσσων ἐπέων ἱεὶς ἀοιδὰν,

Μȣσάων θεράπων

amplexibus immoritur: eoſque dies, quibus ſapientia omnis, & liberales artes addiſci poterant, in ſinu tepido jucundiſſimæ dominæ perdit, & conſumit. Donec tandem blanditiis victus, oblituſque ſui,

ἐ θέλων τε καὶ θέλων, οἰκτῳ κόρης,

cingulum ſolvit male pugnanti virgini, & ad conſummationem ſpei ſuæ pergit. Quidam, qui minus feliciter amant, noctes totas ante amicæ poſtes cantillant.

Excluſi fore, cum Longarenus foret intus.

Fit enim ſæpe, ut libentius in bubulci, aut robuſti agaſonis amplexibus puella tam timida verſetur, quoties nihil admodū præclari ex macie, & tremore poetæ noſtri prę̨ſumit. Nimirum illi jam mores ſunt publici. Quando enim de cujuſque nervis quæritur, non ad haruſpicem itur; ſed ex vultu, atque adeo ipſo naſo conjectura fit. Ex his occupationibus poetæ noſtri eam arrogantiam, illos ſpiritus lucrantur, quibus, tanquam re præclare geſta, ignobilitatem ſuam magnis nominibus inſerunt. Itaque cum omnium modeſtiſſime loquuntur, & mediocriter ſe eruditionis principes, penes ſe literarum majeſtatem eſſe jactitant. Quemadmodum ille, qui fęcerat

κύκλια τε πολλὰ, καὶ καλὰ,

Καὶ παρθενεῖα, καὶ κατὰ Σιμωνίδȣ.

Atque adeo nemo pati tam inſolentes, ac glorioſos deinceps poteſt. Hunc faſtum, hanc ferociam ego vero ſummæ ſoliditatis, & vanitatis pleniſſimum documentum interpretor. Nemo enim honeſtis artibus copioſus arrogantiam eo loco reponit, ubi ſcientiarum ſuppellex eſt. Quemadmodum vaſis quoq;, cum aquam recipiunt, aer inanis excluditur. Scimus agricolas eas ſpicas, quę terram verſus inclinantur, liben-

tius intueri. Quæ enim ſurſum feruntur, inanes ſunt plane, & caſſæ. Eodem modo, per Bachum, quo nemo vanitatem deponit, niſi qui fructu impletus eſt doctrinæ. Anaxagoras Formarum autor, τῇ ὕλῃ τὸν νοῦν adjeciſſe primus dicitur. Profecto explicari non poteſt, quam male conſultum ſit poetis, qui parte tam inſigni deſtituti, vaniloquentia mortales omnes ſuperant. Quod ſi fortaſſis adſtat aliquis lingua blanda, mente ſubdola, qui noſtrum laudibus ad cælum efferat, ita ſuaviter homini lepido titillantur aures, ac ſi pennis perfrices. Mox abreptus amore ſui, immani hiatu verſus ſuos recitat. Quos ſi patienter audis, ſolus ſapis, ſolus judicio vales, ſolus ingenio humanam ſortem ſupergreſſus es. Aliquoties adfui recitātibus; & viſus ſum mihi audire puellas textriculas, quæ inſulſis plerunq; fabulis tædioſi operis moras circumſcribunt. Memini adoleſcenti mihi conſuetudinem fuiſſe cum quodam hujus farinæ homine. neque ullum unquam tempus periit moleſtius. Adeo cùm tacerent alii, totum diem argutabatur ſolus, quaſi cicada. plane

vocis ſuſcitabulum,
Cantantiumque gallus gallinaceus.

Qua in re illud maxime inſuave eſt, quod cicadæ unum quidem menſem, aut duos in vicis canunt: vos, ô viri poetæ, totam vitam ineptis cantilenis tranſigitis. Legi aliquando, Lacydi philoſopho anſerem ubique adhæſiſſe, in balneis, in foro, in cubiculo: fato prorſus non diſpari. Quanquam malim ſane ſexcentos anſeres audire gracitantes, quam poetam unum œſtro ſuo percitum. Vidi qui correptus tali morbo ſtolidiſſima quæque, quæ proxima nocte excogitaverat, omnibus à furno, & lacu redeuntibus dictaret. Tanto impetu; dixiſſes carminum, ceu fluminum, ſcatebras ſonare.

In ore fontes duodecim,
In gutture eſt Iliſſus. quid dicam amplius?
Niſi quis illi propere os obturaverit,
Hic cuncta merget ſub diluvio carminum.

Atque

Atque adeo deinceps id hominum genus pejus fugi, quam fullo ululam. Quanquam hoc tempore haud paullo facilius ſit, quemadmodum Græci loquũtur, in navi cadentem lignum non tangere, quam, quocũque intendas oculos, poetam non videre. Familiare omnino jam id malum eſt: credas maximam partem hominum vaticinari, inſanire. Hac præſertim tempeſtate, qua μέγας Ἄρης δεξιόσειρος tot poetas excitavit, quot fungi naſcuntur una pluvia. Deus bone, quot triumphi, quot trophæa quotidie provolant! Quanto molimine, quã putide maximorum principum res geſtas deſcribunt! Quidã adeo operas ſuas locant Thraſonibus, ut nulla unquã navis ita vulgata ſit in fluvio publico, quam poetæ nomen. Novi, qui tribus obolis conducti ſexcenta metra uno die evomerent: quemadmodum qui in balneis lavant, profundunt aquam. Quid, quod precio invitati ludum ac jocum ducunt alienam famam acerbis facetiis lancinare. Oſtẽde cibum, & calumniari jube; extemplo maledictum ex trivio, aut ex ſcurrarũ aliquo convitio arripient. Huc enim recurrunt, quaſi ad pręſentem paſtum mendicitatis ſuæ. Itaque jam dudum procax libido nocendi futili poetarum lingua, tanquam flabello maledicentiæ, abutitur. Nec quicquam pudet homines & ſtultitia, & inſania efferatos. Aut enim frontem amiſerunt plane: aut tantum eſt inter linguam & frõtem intervallum (ut quidam loquitur) ut frõs comprimere linguam nõ poſſit. Nemo dabit mihi mores tam niveos, qui poetarum calumniis non pateant. Adeo quotidie intra latera noſtra hæc ſica verſatur. Non raro tamen ſeipſos mutuis ictibus conficiunt: quoties quiſque id ſibi detrahi putat, quodcunq; famæ acceſſit alienę. De re itaque anili digladiantur, & tragædias excitant, livore ac odio invicem commiſſi. Vnde profecto ſalubriter prudentiſſimus vir Plutarchus vetuit, ne in cõvivio poetas conjungeremus. Quibus, tãquam bellos comites, mendicos, cantores, ſophiſtas addit. Eamq; ſimilitudinem ſingulorum inter ſeſe μάχιμον appellat. Vtpote quos ingenii vanitas in æmulationes pri-

mo, mox in jurgia, & pugnas agat. Quanquam aliquando diverſum quoq; notaverim. Sæpe enim egregie concordes ſunt, quoties famam, quam ſinguli deſperant, mutua ambitione captant. Itaque ille mihi hodie continuo fit Alcæus, ut ego ipſi poſtridie Mimnermus ſim, aut Callimachus. Quibus ſane technis improvidis hominibus, ipſique adeo poſteritati feſtiviſſimè illuditur. Hunc tamen gloriæ γαργαλισμὸν plenis cyathis non raro diluunt. Ita ſcilicet ingenium excitatur, ut illuſtre aliquid, & divinum audeat.

Οὐκ ἔστι διθύραμβος, ἄιχ᾽ ὕδωρ πίνῃς.

Difficiles Deas eſſe ſane neceſſe eſt, quæ non proliciuntur,

Flos veteris vini niſi naribus objectus eſt.

Quod quò pertineat, norunt illi, qui ſciunt maximorum vitiorum immanitates quibuſdam elegantiæ, & leporum radicibus niti. Nempe, idcirco merum copioſe hauriendum eſt, ut concinnū carmen fiat: ut ſuavius Melpomene lymphatico vati reſpōdeat: ut mens duplici numine extra ſe rapta ad ſpem æternitatis incaleſcat. Scio, quam facunde quidam hanc cauſſam orent. Sed plerique fucum quærunt, ſub quo libido ſua atque aliena per commeſſationes obliniandi deliteat. Itaque omnibus jam poetis modulus vitæ ſuæ amphora eſt. Nec pauci adoleſcentes, ſi quid ingenii, atque ardoris fuit, popinis, & helluationibus detriverunt. Vnde illud ſecutum eſt, quod, qui poeticè ſatis vixerant, ne quid ſummæ felicitati deeſſet,

ad porri, & ciceris, laganique catinum

poſtremo reverterentur. At ſolutior eſt animus, & lætior indoles, & lingua expeditior inter pocula, & facundi munera Bachi. Eodē ſcilicet modo, quo loquaciores ſunt pſittaci, cum vinum bibunt. Quod & Ariſtoteles tradidit: ne quis mihi negotium faceſſat. Et profecto, tanti non eſt verſiculos cantare ut propterea oenopola rem faciat; tu poſt exhauſtos loculos optimam podagram cum ſenecta comitem ducas. Omitto heic, quod plerumque

——— eget æris Cappadocum rex.

Notum eſt omnibus,

Quò

Qui quidem in mendicitatem ſe properet detrudere.

eum verſus facere debere. Nam poſt acumina delicata, poſt vibrantes ſententiolas, ſi fortaſſe

τ᾽ ἄλφιτα οὐκ ἔνεστιν ἐν τῷ θυλάκῳ,

Imputēt ſibi, quod diſertos ſe eſſe, quam bonos maluerunt. aut cantillare amicam potius, & eſurire cum intonſo Deo, quam Vitæ rationes prudentibus conſiliis formare. Cæterum magnanimitas, & fortitudo, quam præ vobis fertis, ultra verba, hercules, nō patet. Vidi qui ritu canum, objecta offa, ſævitiam omnem ponerent. Vidi qui odore vini prolecti, currendo talū inverterēt. Nuper etiā, cum vehementer flarent Noti, quidam hujus generis foras cænaturus, dum in veſtibulo moratur pauliſper, delapſa tegula oppreſſus eſt. Poſt quod tempus nullum amplius verſum ſcripſit Atque ea quidem re tineis, & blattis haud parum nocitum eſt. Summa huc redit: ut animi robur quodammodo in verſu oſtentent, nihil extra carmen auſuri. Quoties ad prælium venitur, ipſis quidem fiducia manuum migrat ad pedes. Noſtis opinor, quanta facinora Flaccus iſte ediderit, juxta Philippos

relicta non bene parmula.

Cui quidem nunc poſt tot lepidos verſiculos nihil ſupereſſe video, quam quod lippit, & dulce ridentem Lalagen recordatur. Sed ignoſcendū eſt amæniſſimis mortalium, ſi vivere fortaſſis, quam mori malunt. Tibi ſaltem quid in mentem, Homere, venerit, ignoro, qui maxima certamina interdū lapidis jactu dirimis. Niſi fortaſſe Græcos, Trojanoſque omnes fungos arbitraris, qui idcirco frameas immanes, clypeoſque ἑπταβοείους geſtarēt, ut ſaxo potius, velut pueri, quam gladio prælia patrarent. Sed putiditatem omnem ſuperat nugaciſſimus Xanthus, Achillis equus. Quem tu quidem, hinnitu longum vale juſſo, & oratorem omnino, & vatem facis. Nam quod prolixa, & mille pene paſſuum colloquia fingis in mediis pugnis, in eo videris majori venia hallucinatus, quod Paulus Iovius idem crimen non effugit. Parum memores uterque, in acie exiguas ingeniū exercendi inducias dari.

mo, mox in jurgia, & pugnas agat. Quanquam aliquando diverſum quoq; notaverim. Sæpe enim egregie concordes ſunt, quoties famam, quam ſinguli deſperant, mutua ambitione captant. Itaque ille mihi hodie continuo fit Alcæus, ut ego ipſi poſtridie Mimnermus ſim, aut Callimachus. Quibus ſane technis improvidis hominibus, ipſiſque adeo poſteritati feſtiviſſimè illuditur. Hunc tamen gloriæ χαεγαλισμὸν plenis cyathis non raro diluunt. Ita ſcilicet ingenium excitatur, ut illuſtre aliquid, & divinum audeat.

Οὐκ ἔςι διθύραμβος, ἄιχ᾽ ὕδωρ πίνῃς.

Difficiles Deas eſſe ſane neceſſe eſt, quæ non proliciuntur,

Flos veteris vini niſi naribus objectus eſt.

Quod quò pertineat, norunt illi, qui ſciunt maximorum vitiorum immanitates quibuſdam elegantiæ, & leporum radicibus niti. Nempe, idcirco merum copioſe hauriendum eſt, ut concinnũ carmen fiat: ut ſuavius Melpomene lymphatico vati reſpōdeat: ut mens in duplici numine extra ſe rapta ad ſpem æternitatis incaleſcat. Scio, quam facunde quidam hanc cauſſam orent. Sed plerique fucum quærunt, ſub quo libido ſua atque aliena per commeſſationes obliviſcendi deliteat. Itaque omnibus jam poetis modulus vitæ ſuæ amphora eſt. Nec pauci adoleſcentes, ſi quid ingenii, atque ardoris fuit, popinis, & helluationibus detriverunt. Vnde illud ſecutum eſt, quod, qui poeticè ſatis vixerant, ne quid ſummæ felicitati deeſſet,

ad porri, & ciceris, laganique catinum

poſtremo reverterentur. At ſolutior eſt animus, & lætior indoles, & lingua expeditior inter pocula, & facundi munera Bachi. Eodē ſcilicet modo, quo loquaciores ſunt pſittaci, cum vinum bibunt. Quod & Ariſtoteles tradidit: ne quis mihi negotium faceſſat. Et profecto, tanti non eſt verſiculos cantare ut propterea oenopola rem faciat; tu poſt exhauſtos loculos optimam podagram cum ſenecta comitem ducas. Omitto heic, quod plerumque

——— eget æris Cappadocum rex.

Notum eſt omnibus,

Quò

Qui quidem in mendicitatem ſe properet detrudere.

eum verſus facere debere. Nam poſt acumina delicata, poſt vibrantes ſententiolas, ſi fortaſſe

τ' ἄλφιτα οὐκ ἔνεστιν ἐν τῷ θυλάκῳ,

Imputẽt ſibi, quod diſertos ſe eſſe, quam bonos maluerunt. aut cantillare amicam potius, & eſurire cum intonſo Deo, quam Vitæ rationes prudentibus conſiliis formare. Cæterum magnanimitas, & fortitudo, quam præ vobis fertis, ultra verba, hercules, nõ patet. Vidi qui ritu canum, objecta offa, ſævitiam omnem ponerent. Vidi qui odore vini prolecti, currendo talũ inverterẽt. Nuper etiã, cum vehementer flarent Noti, quidam hujus generis foras cænaturus, dum in veſtibulo moratur pauliſper, delapſa tegula oppreſſus eſt. Poſt quod tempus nullum amplius verſum ſcripſit Atque ea quidem re tineis, & blattis haud parum nocitum eſt. Summa huc redit: ut animi robur quodammodo in verſu oſtentent, nihil extra carmen auſuri. Quoties ad prælium venitur, ipſis quidem fiducia manuum migrat ad pedes. Noſtis opinor, quanta facinora Flaccus iſte ediderit, juxta Philippos

relicta non bene parmula.

Cui quidem nunc poſt tot lepidos verſiculos nihil ſupereſſe video, quam quod lippit, & dulce ridentem Lalagen recordatur. Sed ignoſcendũ eſt amæniſſimis mortalium, ſi vivere fortaſſis, quam mori malunt. Tibi ſaltem quid in mentem, Homere, venerit, ignoro, qui maxima certamina interdũ lapidis jactu dirimis. Niſi fortaſſe Græcos, Trojanoſque omnes fungos arbitraris, qui idcirco frameas immanes, clypeoſque ἐπιλαβοίους geſtarẽt, ut ſaxo potius, velut pueri, quam gladio prælia patrarent. Sed putiditatem omnem ſuperat nugaciſſimus Xanthus, Achillis equus. Quem tu quidem, hinnitu longum vale juſſo, & oratorem omnino, & vatem facis. Nam quod prolixa, & mille pene paſſuum colloquia fingis in mediis pugnis, in eo videris majori venia hallucinatus, quod Paulus Iovius idem crimen non effugit. Parum memores uterque, in acie exiguas ingeniũ exercendi inducias dari.

Ea enim hora gladios,&,ut tu loqui ſoles,ἔγχος βριθὺ,μέγα σιβαρὸν poſcit. Atque iſtiuſmodi ſunt, à quibus ſapientiam omnem, tanquam à fonte quodam profluxiſſe,quidam argutantur.Quod qui decies audit; & continuo ſtrabus non fit, næ ille dignus eſt, qui omnes Ovidii iſtius fabulas pro jentaculo devoret.Id ſaltem commodi feret, ut lubrica alvus ſi quid in ſtudiis vagum adhuc,& ineptum ſupereſt,una cum Iaſone,& Phaëtonte,& Icaro,poſtico egeratur.Hoc onere depoſito, felicius ad ſcientias omnes, ad ipſam denique Sapientiam adfectabit viam.Nō inficior florētiſſima ſæpe ingenia vividum animum ad poeticas ineptias detorſiſſe. Quæ ſi ad meliora hunc impetumq́ darent,profecto ad publicam utilitatem proficerent. Nunc in ſtudiis imitantur puellas, quæ ſerta texunt. Florida enim & odorata folia cōgerunt:jucundo quidem opere, ſed ἐφημέρῳ καὶ ἀκάρπῳ. Indignamur cōpactos gladiatorum lacertos, & ad pugnas natum robur levitate jaculi, aut diſci jactu vaneſcere. Nemo iraſcitur,cum inanibus verſiculis indoles magna tota ſæpe vita inhærens hoc tantum proficit, ut, cum ad teſſeram anni venerint, nec ſibi nec aliis proſit.Ita evenit, ut, qui domi inter thecas ac foculos ſuos dulce carmen canebat, ubi ad publica munia transfertur, quaſi in petra ſedeat, & veluti pueri ore ficos captantes, hiet. Nam quod mellitula dicta fingit,ac tornat: alia conglutinat membratim, & antonomaſiis incruſtat;quod format ſententias, & in modum rapi rotūdas facit,ſatis quidem ipſe ineptus eſt: cæterum

Οὔτε ποτ' πολέμῳ ἐναρίθμιος,οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.

Adeo ne ipſa quidem dulcedo, qua magni ſibi videntur,poetæ quicquam cōmodi affert. Quis enim curat magnopere, quam diſerte Iaſon apud te loquatur, aut Agamemnon. Qua profecto in re equis ſtrigoſis ſimiles eſtis:quorum ne pellis quidem,ſicut cæterorum animantium, utilis eſt.Cibi quoddam genus eſſe norunt Medici,quod neque ſanguini quicquam, neque ſpiritibus, neque medullę,aut nervis apponit:Venerē tantum excitat,& pudenda attollit,nec raro ventrem

ſufflat,

Digitized by Google

ſufflat,& carnem gignit putridam. Ego ſane hactenus neminem vidi,quem Poetica aut impudicum,aut vanum,ſaltē ad publica negotia,& res viro ſerio,& cordato dignas inutilem non reddiderit. Quanto itaque illuſtriores illi,qui omiſſis nugamētis id curant; ὃς ἂν ἐρέτης ἔσοιτ᾽ ἄριστος, ut loquitur Ariſtophanes. Quo ſane viro nihil excogitari poteſt à veſtris,ô viri poetæ, ineptiis alienius. Flagitiorum profecto veſtrorum,& non tolerandæ vanitatis ſcenā generoſa libertate primus detexit. Audivi aliquando cordatum hominem dicere:vigeſimo ætatis anno grandē aliquem eſſe debere,trigeſimo cautū.quadrageſimo divitem. Qui has metas trāſiret, eum alia omnia fruſtra conari. Videtis, viri poetæ,quantum à rectis & prudentibus conſiliis aberretis. Nunquam divites,nunquam cauti,ſtultitiā cum ultima toga, vix tandem in ipſa morte exuitis. Tota itaque vita Hectores loquimini, aut Menelaos. nec raro Thaida aliquam, aut Demophilen. Tanto quandoq; molimine,ut qui iſta è longinquo ſpectet, rem ſeriam geri arbitretur. Sed ſi quis aquam in mortario,ferreo piſtillo,inſano conatu tundat, ſeque rem pręclaram agere exiſtimet,quis neſcit,etiamſi humeros utroſq; & lacertos tundendo frangat,effecturum tamē non eſſe,ut aqua aqua non ſit. Eodem omnino modo, viri poetæ, quo poſt tot ſudores, tot ingenii jactationes,ſemper poetæ eſtis, id eſt,ſtulti, inanes, elati, nec precii alicujus,nec rei. Vultiſne, ut à vobiſmetipſis ſtudiorum veſtrorum imaginem petam? Opinor recordari vos, quæ de Vlyſſe aliquando nugati eſtis. Deſcendiſſe ſcilicet ad inferos, manes omnes ac umbras mortuorum vidiſſe, & ſermonem conſeruiſſe,cum ipſam dominā ne vidēdi quidem copia eſſet. Nempe, quemadmodum vos quoq; cum nebulis fumoq; ineptiarum veſtrarū congreſſi,à dominæ Sapiētiæ cōſpectu arcemini. Qui ſi fortaſſis quaſi tēpeſtate aliqua ad ſeria ſtudia delati,ſapere tentatis,uno Poetices flatu in alia omnia abrepti,ad ingeniū reditis

οὔτε δίκας εὖ εἰδότες, οὔτε θέμιστας.

Nondum retuli quantum impietatis invexeritis,dum

ſacra, humanaque profanantes religionum quendam cinnum facitis. Pigni profectò, quos malva, & urticis cæſos Muſę de Parnaſſo furcillis pręcipites dent. Nam cælum vobis adeo nullũ eſt, qui Elyſios campos beatorum ſedem ſtatuitis. Nec Deus forte aliquis: quibus Venus, aut crinitus Apollo mentem, & calamum avertit. A quibus nec ipſi Theologi abſtinent. An vero putatis ignotũ eſſe, inveniri hodie quamplurimos, qui iiſdem manibus, quibus ſacra tractant, Deæ Veneri, & Priapo hymnos ſcribunt. Quoſdam in ſuggeſto ipſo prurire dicas: & hauſtas domi ex poetis ineptias inter dicta religioſa populo diſpertiri. Hæc tam nefanda cùm patretis, viri poetæ, Liberum patrẽ jure convenio, qui hominibus leviſſimis tam ſplendidam aulam, tam delicatam inſulam dederit habitandam.

Plura dicturus videbatur Dormitantius. Movebatur enim vehementer, ut ardere hominem aut furere diceres. Sed ingens è longinquo fragor, ac tumultus aures pariter, atque animos attonuit.

Vt, cum vetuſta molis, imminens tectis,
Trahit ruinam turris alta, vaſtumque
Inſaniente verticem quatit Cauro
Rex Aeolus: prænuntius fragor cladis
Terret colonos, mox cadentis inſanum
Audit tumultum paſtor, inter armenta,
Secretus altis collibus, ſtupentemque
Dubio pavore ſevocat gregem campo.

Itaque fugam jam circumſpectâre Dormitantius, & in alieno regno omnia metuenda credere. Sed Silenus proſiliens lacinia prehenſum attinuit. Et: non ita fugies, inquit, mortalium omnium ſacerrime, dimiſſo aculeo. Itane mores tuos huc transferre poſtulas, ut qui peſſime multa dixeris, male iterum audire nolis? Scilicet iſte nebulo, viri poetæ, ad ſuos reverſus inſanum de virtutibus veſtris triumphũ aget. Solus enim ſibi ſapere videtur, poſtquam poſt prolixam illam neniam impune eſt. Efficite, ut tam atrox ſcelus, quoniã per juſſa alumni mei aliter non licet, aurium ſaltem moleſtia luat. Nemo fere percepit, quid diceret Silenus,

Digitized by Google

nus, omnibus poſt tam immanem beatum obſtupefactis. Atque adeo ſtatim, quid mali eſſet, apparuit. Trahebatur in campum ingens globus otioſorum, ut apparebat, hominum. Inter eos ego plurimos noverã laurea apud nos inſignes, ſtoliditatem ſuam vulgo vẽditaſſe. Calamus omnibus in manibus adhuc erat, & tabellæ ingentibus metris conſcriptę Quod autem quilibet ſua Poëmata magnis clamoribus recitaret, inde ille tumultus, quem paullo ante metuebamus. Præibant agmini Myrtilus & Polyphilus, magni in his literis nominis viri, dum fata ſinebãt. Vbi in medium campum ventum eſt, Polyphilus meditato ſermone poetas eſt allocutus. periodis profecto ita involutis, &, uti ille loquitur, contortuplicatis, ut filo Ariadnes opus eſſet ad inveniendum exitum. Mirifice enim ſenſus inconditos luxuriantibus verbis cumulaverat. Plane flagitares viaticum, cola tam prolixa, & inſana emenſurus. Cæterum id enim à poetis petere hariolabor, ut, quoniã bene, ac pręclare de Republica poetarũ tot feliciter cõfectis verſiculis meriti eſſent, inter Aproſiti incolas cenſerentur. Eandem cauſſam orabat Myrtilus oda aliqua tam dura, confragoſa, & aſpera, ut omnibus pene audientibus cerebrum excuteret. Nec paſſus melos tam inſuave Silenus, nihil quidem ſe indignum fecit, ſed poſt ructus duntaxat aliquot, ea parte corporis, unde de Sabęis meſſibus nihil ſpirat, aliquid emiſit γαλῆς δριμύτερον. Tam fætido odore naſum oppugnante, ſubridens Silenus: ne miremini, inquit, ſi incivilior ſum inſignium virorũ exemplo. Mihi quidem meras merdas loqui viſi ſunt. Quod ſi ſalubria conſilia pati poſſunt, Polyphilo quidem iſti ſuadeam, ut ſuccum inexhauſtæ loquentiæ cucurbitulis evacuet. Nunc quidem nihil ſanitatis habet: & putredinem minatur. Mirtylo odas ſaxeas illas, & inamænas fuſte tundendas cenſeo, uti mitigare aſellos ſolemus. Fruſtra in hoc regno locũ quærit, qui ſe ad aures teretes, & religioſas nõ accommodat. Miſſis in ſuffragia Patribus, ea ſententia vicit, qua decernebatur, ut ante omnia calumniis Dormitantii reſponde-

ſponderetur. Poſtea cenſus ageretur, &, quod conſultum viſum foret, de advenis ſtatueretur. Cum itaque ſecedere novitii juberentur, & denuo omnia miro ſilentio tranquilla eſſent, Iovianus Pontanus ita orſus eſt: Non equidē miror, Viri Poetæ, inveniri plurimos, qui res optimas, & plane divinas ſiniſtrè detorquent; poſtquam eo devenimus, ut mortalium omnium cōtemptiſſimus vobis obloqui audeat. Dormitantius ille, quaſi nitedula ex vepretulis extracta, in dedecus ſcilicet veſtrum, & opprobrium facundus fuit. Quod cum intolerandum ſit animis erectis, &, quod caput eſt, contumeliæ inexpertis: recte atq; ordine cenſuiſtis tam obſcænum, & impudens os veris, juſtiſq; convitiis batuendum. Ad quam rem ſi quis alius veſtrū potius nervos, atq; induſtriam attuliſſet, faxo excuteret nebuloni iſtam verborum jactantiam. Sed fortaſſis homini vili inſignem adverſarium opponere è dignitate veſtra, Viri Poetæ, non fuit. Aut, ut benignius interpreter, in hoc negotio integritatē meam potius, quam eloquentiam probaſtis. Cæterum æſtimabitis vos, ipſeque Bachus, patronus noſter, teſtis erit, quantum differant boni cordatiq; ingenii homines à nebulonibus imperitis, qui, ut noceant aliis, in frigidiſſimis, ac jejunis calumniis latebras quærunt. Miram ſane farraginem criminum congeſſit Dormitātius, ut eſt turbulentus: quorum neq; pes, neque caput apparet. Videbo tamen, an veſtigia tam inconditi ſermonis ſequi reſpondendo poſſim. Et primo quidem laſciviam ac Amorem objicit nobis. In quo ridicule facetus eſt, & argutias loquitur. Nempe ſenex elumbis, & fracta ex Venere latera trahens, quam fortia jactitat, quam roboris plena? En, qui poſt noctes totas ſcortationibus vigilatas, poſt obtritam rem paternā, innocuo & erudito Amori non aris, & focis, ſed pectoribus, ac chartis noſtris interdicit. Age vero, Dormitanti jucundiſſime, virum te præſta. Rem ingētem moliris. Sed tu obnitere, & pariter cum Amore illo tibi tam inviſo ſcientias omnes, cupiditatemque honeſti ejice, ac proturba. Hoc enim agitis illa auſteritate veſtra,

te veſtra, ut noctem nobis, & tempeſtatem literarum reducatis. Video attolli rugas tuas, quaſi ad rem inauditam. Sed tu fortaſſis ignoras Athenienſes olim adoleſcentibus ſuis deſiderium artium liberalium amando perſuaſiſſe. Ex iiſdem porro Veneris, & Cupidinis igniculis prima fortitudinis ſemina exſtitiſſe. Quod & Thebanorum ſacra cohors, & Cupidinis ſignum in Gymnaſiis Herculi, Mercurioque adjectum docere te poterāt. Sed tu fumos eruditionis ſectatus, ſolida, ac recondita doctrinarum non capis. Scio, te ſupercilio illo inamæno Philoſophiam mentiri. Itaq; ſēper in ore tibi numeri Platonis, καὶ τὰ ὀρθογώνια, καὶ τρίγωνα. Sed tu tam induſtrius cultor Platonis, oblitus es, quæ de Amore noſtro divinitus ubique diſputat. Hoc enim quaſi ſtimulo admoto, animam corpori immerſam veternum excutere, & ad honeſta, & cœleſtia excitari facundiſſime Socrates oſtendit. Atque inde prolixo ſermone demōſtrat, quicquid unquam præclari inventum, aut excogitatum ſit, id Amorem illum παντὸς ἐπιχειρητὴν conceſſiſſe mortalibus. Non opinor tam inſolentem te, aut ſtupidum eſſe, ut divinarum, humanarumque rerum ſcientiam Socrati detrahas. At tamen idem ille nonne omnia prȩter amatoria ignorare ſeſe adſerit? Nonne, ut pulcherrime ipſe loquitur, ὅτι ἐστὶ θεράπων τοῦ Ἔρωτος, καὶ λευκὴ στάθμη πρὸς τοὺς καλούς ubique adfirmat? Nonne in Republica, ubi virtutibus ſua præmia decernit; non coronas aut ſtatuas proponit: ſed ut excellentiſſimo cuique pulchrum, quem ipſe voluerit, adoleſcentem amare liceat, ſcivit, ſancivit, pertulit? Quis autem tu es, hominum leviſſime, qui ob hilariorem Muſam levitatis reos poetas facis? Acerbior omnino, quam olim Anytus, & Melitus. Quos cum ſapientiſſimo homini neſcio quas ineptias objicerent, valde incurioſos rerum ſuarum fuiſſe oportet, ſi tam immane crimen non viderunt: prævaricatores, ſi neglexerunt. Et quæſo, annon publicus ille cavillator Ariſtophanes, potius, quam iſta reprehēderet, neſcio quos pulicum ſaltus, & ineptiſſimas ἀεροβάσεις comminiſci voluit? Sed

ſtupor

ſtupor tuus ad tam elegantia, & abſtruſa non penetrat. Itaq; fruſtra ero, ſi te, quid amatoriis verſibus ſibi poetæ velint, docuero. Nam quod tu adeo contemptim Lesbiam, & Lalagen appellas, in eo inſcitiam tuã profiteris. Quippe cincinnatus ganeo, ex impuritatib. conflatus, cum Venerem, & amicam nominari audis, luſtra tua, & proſtibula cogitas. Adeo corruptus libidine animus omnia pro obſcænitatibus ſuis interpretatur. Nos vero, qui non ignoramus *ſapientem amare, cæteros cupere*, aliquid illuſtrius mente complexi, dominas quærimus, non ad uſum infamem, ſed ut cõplexibus elegantis amicæ permulſi cæleſtia omnia cogitare; te vero, & tui ſimiles deſpicere diſcamus. Ea autem diva Sophia eſt, belliſſima Dearum: quæ nõ niſi faciles amatores, & rectæ indolis admittit. Nec mirum, ſi pulchritudinis tam conſummatæ Ideam in animo geſtantes, ejus effigiem, in puellis noſtris expreſſam, per otia quandoque amamus. Quam ſane impura libidine profanare nefas ducimus. Nempe ut ſacraria numinis reverenter adimus: quibus ſola recordatio cæleſtis majeſtatis patrocinatur. Vos, qui omnia polluitis, lentigo veſtra in laſciviam primo, mox in vecordiam agit. Porro noſtrorum hominum jactantiam ferre non potes: quorum erectas ſententias, dictaq; magnifica potius, quam vana acerbe detorques. Sed tu, qui nullum rectæ laudis ſenſum habes, maximorum ingeniorum conditionem ignoras, qua famæ conſenſus ad juſtam fiduciam ſui extulit. Etenim tui ſimilibus, poſtquam ad exactam ætatem per ſilentium veniſtis, quid quæro ſupereſt, præter ſcelerum memoriam, & quod famæ invidetis alienę? Cum noſtri illi, igne ſuo calentes, contemptu, & livore omni majores, ſecum alia etiam nomina educant, & adſignent famæ. Noſti gratiam felicium ltra fortunam non extendi: *ingenii gratia perpetua e & quicquid ab eo celebratur*. Sed eſto ſane, ut vis, res exilis verſus facere, ſaltem ſi bonus es, pati debes bene natam indolem & juvenilem levium quoque rerum gloria ſublatam; accedente ætate ad ſpem majorem ſurgere. Multo

re. Multo enim ad ſublimia proniores ſunt, ſi in his, ut ais, ludicris exiſtimationi ſuæ præluſerint. Scilicet ut frugales matronæ ſolent, quæ cum vaſculum recẽs explorant, non oleum infundunt, aut vinum: ne magno conſtet experientia. At vero magni non refert, quam abjecte tu de Poetica judices. Nos ſcimus, orbis terrarum principes, cum tantam jam eſſent famam conſecuti, quantã vix cogitare licet, ne ab hujus quidem uſura gloriæ animum temperaſſe. Inter quos non pauci tacerentur hodie, niſi eos Apollo ſuus, Deæq; novẽſiles applicuiſſent. Sed tu mordacitatem quoque objicis nobis. Nempe, optime Dormitanti, quam vim poetæ habeant offenſi, ei credere debueras, quam in laudando habent. An ſolus ignorabas, difficile eſſe inimicitias cum eo exercere, cui ſtilus domi eſt, & vivida Muſa, omnis contemptus impatiens? Sed videte quæſo, mortalium omnium impudentiſſimus ut ſua nobis vitia impingit! Ipſe in luſtris canos iſtos inter ſcorta, ac libidines inquinat: in nobis amænitatem non patitur. Ipſe omnis ſapientię tyrannidem adfectat: cui nos glorioſi videmur. Ipſe perverſis litigatoribus iracũdiam ſuam, & vocem obſcænam locat: & nos criminatur, qui generoſe à noſtris ſacris impuros milvios, & ſcarabæos arcemus. Ipſe inter patinas, ac culullos adſiduus, poſt inſanas perpotationes exprobrat nobis, quod à vino non abſtinemus. Pudeat te, Dormitanti, quod ne calumniando quidem crimen majus adumbrare potuiſti. Tune, homo impure, ſcyphos, & Liberi patris jucunda munera abjicere nos cogis, cui feſtivitatẽ hanc, & inſulam beatiſſimam debemus? Procul abſint à nobis præfracti ingenii homines, quorum acerbitas morũ, immanitaſq; naturæ ne vino quidem permiſta temperatur. Nec profecto calumniæ locus in eo eſt, quod poetæ meliori in omnia ingenio, quam fortuna utimur. Miſera eſt, ais, in ſenibus paupertas: miſerior quippe illiteratis. Nos omnino ſupra humanas ſordes indole, ac robore eruditionis elati, inter titulos laudeſq; noſtras jactamus, quod invicti animi adverſus

pecu-

pecunias ſumus: quibus ignaviſſimus quiſque maxime conſpicuus eſt. Vides Aurunculanum illum, *is vero Publicanus ut Aſia fiat pro Lucillio, id ipſe nolit, & uno hoc non mutet omnia.* Cætera crimina arguẽtis vanitas ſubvertit. Adeo nullo negotio dilabuntur voces in invidiam confictæ, *ut levis typpula lymfon frigidos tranſit lacus.* Id ſaltem odioſum eſt, & ferri non debet, quod poetas à Republica, à ſcientiis omnibus amotos, tanquam infames in exilium ablegas. Quid enim ais bone Dormitanti? Scilicet ſcabie poetica infectas mentes ad res arduas ineptas fieri. Atque in hoc ſerio triumphas. Agnoſcitis, Viri Poetæ, vocem inſulſiſſimorũ mortalium, qui cum nulla re, niſi impudentia, vobis ſuperiores ſint, ingeniorum veſtrorum excellentiam, quam oderunt, ridiculis ſuſpicionibus traducunt. Nempe quoniam ad Album ſedent, quoniam tribunalia lambunt, quoniam improbiſſima lucra haud timide liguriunt, idcirco legulejos, & famelicos canes magnis, atque erectis animis præferre oportet? An tu ideo tibi magnus videris, Dormitanti, quod legum fruſta ex obſcuriſſimorum ſcriptorum mendicabulo collecta, miſeroque labore conſtipata, inficetæ plebi jactas? quod ſupercilium, & rugas habes? quod omni elegantia, & urbanitate cares: Sed ajunt: Quid cogitent, aut moliãtur præclari, qui inter verſiculos ſuos, tanquam in nidulo quodam perpetuo deliteſcunt? Nimirum homines ſtupidæ, obtuſæq; mentis, alienæ indolis & induſtriæ contumelioſi teſtes exiſtunt, ut ſcelerum ſuorum patrocinium habeant. Imo quid agant illi aut cogitent præclari, qui poſt turpem adoleſcẽtiam ſcortationibus eviratam, alea perditam, luxu corruptam, vernacula vitia foris continuant majoribus? qui Academias aliquot petaſati perequitãt? qui eo loco, ubi libelli locari debuerant, ſcyphos, aleam, ſcorta habent? qui poſt lancinata patrimonia, raptim per biduum alicujus pædagogi Epitomen miſerrime ediſcunt; & poſt tantam ſapientiam, titulis, honoribus, palliis, veſtibus, capillo auctiores, inſcitiam & inſolentiam in patriam referunt? Homines naſci ex terra

terra Empedocles olim dicebat, ut blitum. Hodie eruditi naſcuntur è luto. Nam dignitatum tituli, qui quondam non niſi merentibus dabantur nunc ſalſugine vulgatiores ſunt. Ex illis tamen, qui non tam doctrina cæteros, quam loquacitate antecellunt in forum provolant. Vbi poſt binas chartulas illiteratiſſimis literis oppletas, mirifico ſtatim faſtu eruditos contemnere diſcunt.

Vt cum primitiis ficos propola recentes
Protulit.

Itaque ſcire aliquid, interdum, cum otium eſt, verſus ſcribere in convitio eſt. Neque agnoſcunt infelicitatem ſuam, qui ea ſtudia, quibus animus excitatur, ſtilus perficitur, eruditio impletur, ſponte & contemptim abjiciunt. Sed obſcuras, & ſordidas mentes, ſolaque convitiandi libidine memorabiles animi ſui morbo, ludibrioque poſteritatis relinquimus. Id ſaltem conſtare omnibus debet: noſtros homines in optimarum rerum ſcientiis ſemper verſari, nec votorum ſuorum ſpem ſolis verſiculis includere. ſtuporē autem, & malevolorum gannitus pedibus trahere. Itaque ſi ad rem veniatur, ſcripta ſua non inanibus fabulis, & moleſtis ſyllogiſmis fædant: ſed ſolidis & pulcherrimis ſenſibus, ſed dictione maſcula, & robuſta, tanquam igne quodam incendunt. Iuriſprudentiam autem, cæteraſq; quas vocant, Facultates, tanta divinarum, humanarumq; rerum cognitione inſtructi, non ex interpretum colluvie, ſed ex ipſis fontibus hauriunt. Interea dum rabulæ, legulei, Stentores noſtri extremos cortices, ut capri, rodentes, duas tātum res ex ſtudiis ſuis lucrantur, ut frontem perfricent, & ſtolide dicaces ſint. Ne tamen omnia adverſus Dormitantium dicantur, Viri Poetæ, quorundam è nobis ſtultitia impedit. Audite doloris mei liberam vocem. Vileſcit honos nobiliſſimæ artis, quoniam promiſcuis commiſſionibus vulgatur. Sacerrimum eſt genus hominum, qui ſtoliditate pariter, & faſtu inſtructi, nulla præterea re conſpicui, ad ſacra veſtra impuras manus porrigunt. Qui venales verſus quaſi in macello, aut

lo,aut foro proponunt. Qui poſt tria quatuorve e-mendicata acumina inſolentes facti, ad levitatem tantum,& ambitionem incumbunt. Hos cum vident Dormitantii ſodales, ineptias paucorum commune crimen interpretantur. Atque inde ea invidia eſt, qua nos hirudines illæ forenſes pene opprimunt. Quis jam ignorat, quot plauſtra poematum ſingulis annis prodeant. Totas ſarcinas excuſſi: & peream male, ſi fœtorem ferre potui. Nec contingere aliter poteſt, quando quilibet de trivio arreptus Parnaſſum ſtatim & Caſtalin cogitat: quando troſſuli ſemidocti ſe contubernio veſtrarum Dearum dignos putant. Itaque cum re opus eſt, male ſaltitantes argutiolas, febres meras, deniq; Anagrammata ſcribunt. Nemo ad forte ac robuſtum epos vel cogitando accedit. Nemo elegos ſenſibus delicatis, verbiſque fluentibus mollit. Nemo ſani coloris Iambum aut facetiis inſtruit, aut generoſa iracundia incendit. Inter ſortes tantum, & ſtupores verſati, ſubito æſtu ſtultitiæ ſuæ calentes, trita, vulgaria, ut moribus, ita verſu exprimunt. Quemadmodum qui ex vili homine repente dives factus eſt, nec precioſis veſtibus ſatis commode ſe aptat; nec appoſitis lautitiis uti novit. Neglectis enim perdicibus, & rhombis, in pultem, ac ſalſamenta irruit, & oppletur ad rupturam. Quæ autem ingenii tui perverſitas eſt, Dormitāti, iſta excremēta cum aliis ingenio florentibus malitioſe confundis. An tu ignorabas in omni ſtudiorum genere vomicas aliquot, ac carcinomata inveniri. Quorū opprobria ſi ad cordatos & eruditos viros pertinere putas, palā iniquus es. Etenim quos tinctura ſufficiens juſtis coloribus imbuit, boni omnino ſunt, & precium inveniunt. Qui ſuccum minus alte imbiberunt, ut ſemialbi, & compuncti, & varii, uti pardales apparent. Alii ſummo digito foris lebetem contingentes, ubi nonnihil fuliginis ſibi illeverint, ſua duntaxat ſententia eleganter tincti ſunt. In his hominibus diſcernendis tam gravis cenſor circumſpectior eſſe debueras. Sed utamur beneficio nugivendi iſtius, viri poetæ, & tam ſtolidæ loquentiæ

n. orda-

mordacitatem ad ſalubritatem conſilii conferamus. Iaſonem Theſſalum qui occidere volebat, gladio vomicam aperiens ſanavit. Nos ſane, quamvis inani dicacitate perſtricti reſumamus priſtinam ſententiam, qua totam illam vaniſſimorum poetarum nauteam exhauriendam eſſe cenſuimus. Vidiſtis paullo ante, quo tumultu Polyphili & Myrtili cohortes hanc inſulam invaſerint. Et jam olim inter nos verſantur inſulſi vates in opprobrium & dedecus noſtrum nati. Non niſi eruditas mentes hoc regnum tolerat. Si admiſceri ſordes patimur, periimus illico, uti in aſperã arteriam ſi quid incidat, moleſtum eſt: quandoque etiam ſtrangulat. Si ſalvam volumus Rempublicam, avellenda eſt illa pars, quæ nugis ſuis, & inſcitia infamis in caput noſtrum invidiam, ut Cæcias nubes, contrahit. *In grege opilio oves minus idoneas amovere ſolet, quas reiculas appellant.* Nos in lateribus exiſtimationis noſtræ vibices, & vulnera ſentimus: & manum Chirurgi reformidamus. Agite, viri poetæ, proturbate peſtilentem hanc turbam à conſortio veſtro, atque ita vos inſtituite, ut recto judicio honeſtos cordatoſque juvenes, ad hanc gloriam ſelectos tanquam foribus accipiatis: cæteri arceantur. Ineptum ſane ſit, janitores curam januarum habere; hoc autem decus veſtrum, illum poetici nominis ſplendorem vulgo patere omnibus.

Cum deſiiſſet dicere Iovianus, revocatis novitiis, acerbiſſimæ ſententiæ dictæ ſunt. Stabat Myrtilus, & tot epigrammatum, tot odarum oblitus tandem ſenſit de capite ſuo agi. Itaq; ingens ille animi vigor totus repente concidit,

velut prati
Vltimi flos, prætereunte poſtquam
Tactus aratro eſt.

Donec tandem horribile carmen Horatius recitavit, quod diceretur cæteris eſſe clamoſior: BONVM FACTVM, NE POST HVNC DIEM QVISQVAM POETA APPELLARI VELIT, NISI QVI INGENIO VALEAT, ET HONESTIS ARTIBVS INSTRVCTVS SIT. DEQVE EA RE DECEM CELEBRIVM POETARVM IVDICIVM ESTO. DE NOVITIIS PATRES SIC STATVVNT, BAVII FÆCIBVS PROBE DELIBVTOS, ET SVIS VOLVMINIBVS IMPOSITOS FORTVNÆ MARIS, ET VENTORVM EXPONI. QVOCVN-

Digitized by Google

CVNQVE TERRARVM APPVLERINT PRO MORIONIBVS HABERI, AVT CVM GALLIS GALLINACEIS COMMITTI.

Summo ſtudio ea lex perlata eſt. Niſi quod novitiorum quidam iniquè ſe circumventos clamarent: cæteri toto corpore exhorreſcerent. Polyphilus tamen, quod alioqui ſatis inverecundus eſſet, eo etiam tempore parum caute vinum hauſiſſet, circumire ſingulos; querelis, minis, aliquando blanditiis animos patrum tentare: Nullo nunc quidem ſe viatico inſtructum, ut perire poſſit. Nuper admodum appuliſſe,

κενεὰς σὺν χεῖρας ἔχοντα.

Eamque communem poetarum ſortem eſſe. Iniquiſſimo exemplo tot ſibi Schediaſmatum gloriam auferri. Ignorare fortaſſe patres quo in precio apud Saxones ſit. Et tamen publicè notum eſſe, Oenoplitum quendam dictionum formulas ex verſiculis ſuis, ad uſum poetices, adoleſcentibus collegiſſe. Qua quidem re ad comparationem veterum ingeniorum ſibi evectum videri. Nec minori flagitio Myrtilum expelli. Quem tot laureis per univerſam Germaniam diſtributis ſatis nobilem à celeberrimo viro Magni etiam Vatis nomen retuliſſe. Denique præter animi ſententiam, ac votum, præter meritum quoque in Bachi inſula ſibi ærumnas creari. Teſtari ſe Deos, hominesque, nullum unquam verſum ſobrium ſcripſiſſe: ne nunc quidem, ſi ad cyathos veniatur, detrectaturum certamen. Differri per univerſam Germaniam facetias ſuas. Eas omnes inter ſpumantes pateras, & epulas liberalius ſtructas excidiſſe. Velle itaque diem diffidi, & Libero patri litem illam decidendam relinqui. Sed cum Æſchylus duci, tamen Polyphilum, cæteroſque juſſiſſet, Silenus, vultu ad hilaritatem compoſito; ſi non adſpernamini, inquit, veterem ſodalem, Viri Poetæ, quædam fortaſſis ſatis ſalubriter moniturus ſum. Non arbitror ex re veſtra eſſe tantam hominum multitudinem hinc abigi. Si enim tempeſtatibus rapti pereant, veſtræ quidem innocentiæ ſumma labes imponetur. Et alioqui uſui eſſe vobis poſſunt. Polyphilum, Myrtilumque & ſi qui illis ſimiles apud imperitos ingenii famam habent, ad piſtrinum, ubi nunc cum Mævio Bavius fulloniam exercet, amandandos cenſeo. Unde poſt ducentos annos tandem excuſſa ambitione, tabellionum munere fungantur. Cætera turba

Lignum cædat, penſum faciat, ædes verrat, vapulet.

Niſi quod Anagrammatum ſcriptores cuminum ſecare debere arbitrer, aut quandoque per otium ex muſcarum alis flabella contexere, & æſtuantibus ventulum facere. Et quando puteum frigidum nondum habemus, huic quidem tantum carminum proventum conjiciamus. Dormitantium quoque facundiæ præmium ferre oportet. Is, ſi ita vobis videbitur, domi meæ inter ſimias luſitabit: aut ſi otio non delectatur, aſino meo à ſtrigili, & clunibus erit. Poſt quam vocem, tam vehementer, & atrociter ſubitò conclamatum eſt, ut ego quidem ſomno excuſſus ſim.

FINIS.

Digitized by Google

LECTORI.

Opuſculum hoc me abſente excuſum eſt. Itaque operarum aliquot errata irrepſere: Iſta ſunt quæ propere notavi. fol. 1. v. 5. *iuncos* p. 2. v. 20. *oppreſſos.* p. 3. v. 13. *moreris.* p. 5. v. 16. *compoſuique.* p. 16. 14. *Quintus.* p. 26. v. 23. *Omnia.* p 33. v. 19. *Servent.* p. 55. adde: *Ad Dan. Heinſium* p. 57. v. 9. *Hippocrates.* p. 64. v. 15. *Hippomenes.* p. 69. v 9. *Omnia.* p. 71. v. 25. *Siſyphiden.* p. 74. v. 18. *grata.* p. 81. v. 14. *urbe.* p. 89. v. 26. *Gambriviosque.* p. 90. v. 35. *vetaret.* p. 95. v. 33. *dixi.* p. 96. v. 9. *ut.* p. 101. v. 17. *patria.* p. 105. l. 10. τῆς. p. 107. v. 21. *Sperare.* p. 112. v. 36. *Tiphys.* p. 114. v. 13. *divis.* p. 116 v. 3. *tabis.* p. 119. v. 6. *quem.* ibid. v. 19. *Iocus.* p. 120. v. 17. *eſt.* p. 125. v. 10. *Iberus.* p. 126. v. 17. *tertius.* p. 135. v. 11. *diu,* ib. v. 32. *colonum.* p. 136. v. 7. *probatus.* p. 141. v. 21 *ingeni.* p. 155. l. 11. πιθεῖν. p. 159. v. 2 *exſtinctis.* ib. v. 33. turbati ſunt duo verſus: *Vt ſteterat ſumma ſpectans inſignis ab arce: Mox odit; toto ſurgens ſcintillat in ore.* p. 160. v 29. *Tarvus* ib. v. ult. *quæ.* p. 164 l. 9. ἔλθοι. ib. lin. 11. εὔχαρις. p. 168. v. 4 *delicata.* p. 171. v 15. *innocenter.* ib. v. 25. dele *te.* p. 172. v. 14. *ingeni* p. 173. v. 22. *deripit.* p. 207. v. 12. *Meonis.* p. 210. v. 2. *Teius* p. 211 v. 25. *primulum* p. 213. v. 21. *urgent.* p. 214. v. 23. *natorum.* p. 230 l. 10. *avocaremus.* p. 239. l. 6. πευσεῖσθε. p. 242. l. 30 ἀθρόος. p. 248. l. 30. *gratitantes.* p. 251. l. 34. *valere.* p. 252. l. 9. *egerat.* ib. l. 30. Οὔτε ποτ᾽ ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος. p. 255. l. 10. *agmen.* ib. l 18. *cum.* p. 258. l. 22. *tentigo* p. 260. l. 2. *Auruncanum.* ib. l. 6. *tippula.* p. 264. l. 12. *Oenoplutum.* ib. l. 22. *diffindi.* Reliqua æquus Lector ipſe emendabit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google